



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

De S. Eliphio Martyre, Prope Tullum Leucorum In Gallia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

## DE S. MALO EREMITA

## SYLLOGE

## E Menæis Græcorum aliisque fastis.

TEMPORE INCERTO.

Illustratur S. Mali memoria e Kalendaris

**I**n pluribus Kalendaris Græcis, quæ olim Mediolani a Papebrochio exscripta fuere, nunc autem in bibliotheca Burgundica regia Bruællis asservantur, nuntiatur præsentis die S. Mali, Patris, Eremitæ et Thaumaturgi memoria. Neque eam omisit Pater Sirmundus in collectione Ms. commemorationum Sanctorum, quos ab Ecclesia Græca coli nosset, quin tamen eorum nomen e vulgatis sibi innotesceret Menologiis. Inter Martyrologia impressa venit apud Latinos unum Universale Castellani Martyrologium, quod S. Maleum eremitam, qui apud Græcos colitur, commemoret. Apud Græcos autem disticho laudatur in Martyrologio Metrico, quod anno 1727 Urbanus Godofredus Siberus illustravit, Lipsiæque excudendum curavit; sonat autem id carmen in hæc verba :

Μαλὸς βραχέϊαν γῆς λιπὼν παροικίαν  
Πόλου κατοικεῖν τὴν μακρὰν κατοικίαν.  
Terræ relinquens hocce diversorium  
Nunc incolit Malus poli palatium.

et magnis Menæis Græcorum.

2 Paulo plura nobis subministrat Menologium Matthæi Raderi, ex magnis Menæis Græcorum collectum, quod olim describere decessores nostri, atque nunc loculo 7883 Bibliothecæ Burgundicæ gaudet : Eodem die (scilicet XVI Octobris) S. Patris nostri Mali. S. Pater noster Malus, relictis opibus et cognatis in locis solis et desertis degens, jejuniis, vigiliis et omnibus aliis corporis afflictionibus gaudebat. Erat illi vultus semper lætus et gratosus, signaque inusitata invocato Christi

nomine perpetrabat, cum et elephantiasin (lepram) ab leprosis abstergeret, dæmones ab obsessis pelleret, cæcis solem reduceret. Et hæc quidem dum viveret agebat. Postquam ad Dominum emigravit, unguentum gratissimo odore fragrans ab ipso manabat, quod per gratiam Dei acceptam nullum non genus morborum, quomodocumque infestum persanavit. Nam glorificantes me, inquit Dominus, glorificabo, cui gloria et imperium in omnes omnium sæculorum æternitates. Amen. Græce autem sic hæc sonant in Magnis Menæis : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαλοῦ. Οὗτος ὁ ἐν ἀγίοις πατέρῃ ἡμῶν Μαλὸς, καταλιπὼν πλοῦτον καὶ εὐγένειαν, ἐν ἐρήμοις καὶ ἀοικήτοις τόποις προσεκαρτέρει, νηστείας καὶ ἀγρυπνίας καὶ πάσαις ἄλλαις κατοπηθείαις χαίρων. Ἡ δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀεὶ χαροποιῶν. Θαύματα ἐξάστια τῇ ἐπιβλήσει τοῦ Χριστοῦ ἐργαζόμενος, λεπροὺς καθαρῶν, δαίμονας ἀπολαύων, τυφλοὺς τὸ βλέποντος χαρίζομενος· καὶ ταῦτα μὲν ἐποίησεν ἐτὶ ζῶν. Ἀπελθὼν δὲ πρὸς Κύριον, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ τῇ γῆ καταλιπὼν, εὐώδε μύρον ἀπὸ τοῦ πηγάζειν, εἰς ἱασίν καὶ ἀποτροπῆν παντὸς ἐναντίου συναρτήματος καὶ νοσημάτων ἀνηκέστων ἐν Θεοῦ χάριν εἴληψε. Τοὺς γὰρ δοξάζοντάς με, φησὶν ὁ Κύριος, δοξάσω, ἢ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος. Plura de hoc Sancto, quæ ejus illustrent patriam, ætatem, solitaria ejus vitæ locum et rationem, reperire non contigit : quocirca necesse nobis fuit ea in titulo omittere, quæ vulgo de Sanctis compendiose prædicantur.

C

## DE S. ELIPHIO MARTYRE,

## PROPE TULLUM LEUCORUM IN GALLIA.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## § I. De S. Eliphii nomine, memoria in Martyrologiis, et biographis.

ANNO FORTE CCCLXII.

S. Eliphii, cujus nomen non græcum sed germanicum est,

**S** Eliphii, qui in agro Tullensi gallico idiomate Eloph, in diœcesi Carnotensi Elis, atque alibi a populo Aloph nuncupatur, ut Claudius Chastelain in Universali Martyrologio ejusque Supplemento idoneus testis est; in libris autem vetustisque documentis Elifius, Elyphius, Elisius, Esitius, Alophius scribitur, nomen suum secundum scriptores aliquot deducit e vocabulo græco ἔλαφος, quod cervum signat. Verum id nomen ad veteres septentrionales gentes pertinet, ut ex

multis antiquis monumentis colligere est; quorum unum, litteris exsculptum runicis, et a Perin,jskioldo inter Monumenta Uplandica (a) relatum, satis fuerit allegasse. Inscriptus est hic cippus his verbis : Ailifr auk Siguidur litu raisa stain iftir Vifast fadur sin; quæ in præsentis Sueco idiomate sonant : Elof och Sigwed lateo resa steen til æminnelse efter sin fader Wifast; et latine : Eliphus et Siguidus curarunt erigi lapidem post Vifastum patrem suum; neque est quod littera r, veteri Suecæ,

(a) Fol. 209.



A præsentique Islandicæ linguæ communis, qua nomen Ailifr desinit, dubium creet ullum, quin Ailifr idem ac Eliphius sit; cum sequens qui a Peringskioldo exhibetur cippus, Vifasti filix nomen Ailifr referat. Sitne vero id nomen compositum ex ee aut e, quod Wiarda in opusculo de Nominibus Germanis (a) legem, jus, fas, fidem interpretatur, qualiter in Ewald quod jure potentem indicat; an ex aa, a, ea, ee, ei, etc., quod aquam denotat; et ex lib, liub, leof, lef, laf, quod in nominibus juxta omnes carum, amicum, qualiter in Theodloef, et Freotlof, significat, judicabit ipse lector. Prius etymon faceret S. Eliphii nomen idem ac justitiæ amicum, alterum aquæ amicum. Cum Egiluf secundum Wiarda (b) justitiæ amicum quoque signet, videtur Egiluf idem esse ac Eliphius.

diebus variis a variis nuntiatum martyrologis,

2 Exulat porro id S. Eliphii nomen tum e Beda puro, tum ex Usuardo, tum ex Adone, verbo ex omnibus antiquis Martyrologiis; atque adeo ex Calendario ecclesie Coloniensis sæc. XIV, quod Cl. Binterim edidit (c), abest S. Eliphii memoria. In recentioribus vero ad varios apparet dies. Imprimis ad diem XXI Junii ejus meminit editio Coloniensis et Labecensis Martyrologii Usuardini, necnon Martyrologium Greveni, tertium quod Canisio tribuitur, et denuum Kalendarium Coloniense confectum a Gelenio; quæ memoria orta forte est e depositione corporis in argenteo loculo, pluribus alibi explicanda. Ad diem XI Octobris Saussayus in Martyrologio gallicano latum de S. Eliphio elogium texit, nulli prorsus innixus rationi, quæ Sancti Martyris memoriam illi diei annectat. Diem autem XVII ejusdem mensis condecorat Sancti nostri encomio codex Usuardinus Hagenoyensis, citatus a Solerio; neque hic abest error, quandoquidem certum est, S. Eliphium tum Coloniæ, tum Tulli die XVI, tanquam ejus in caelis natali, coli. Nævi itaque expertes sunt Usuardini codices Ultrajectensis Leydensis, Aquincinctinus, editio Molani, aliaque Auctaria allegata a Solerio; non secus ac codex Dervensis recentiori manu auctus, et adductus a D. Rouillart in editione Usuardi San-Germaniani, appendix Adonis, editi a Dominico Giorgi, Martyrologium Galesini, et Martyrologium germanicum, dictum Camisii; ubi S. Eliphius hodierna die celebratur. Surius quoque, Baillet, Albanusque Butler præsentis diei S. Martyris vitam in hagiologiis suis illigaverunt.

C in Martyrologio Romano memoria nactus est, quam aliqui correctam velent.

3 Martyrologium Romanum, quod potissimum in assignando Sanctis suum quemque diem ducere nos par est, hodie item celebrat S. Eliphii memoriam in hæc verba: Coloniæ sancti Eliphii Martyris sub Juliano Apostata. Claudius Chastelain loco Coloniæ dicere mallet prope Tullum, quoniam hic cælicam coronam meruit S. Martyr; illic vero præcipuæ tantum ejus Reliquiæ asservantur. Cæterum jam multis a sæculis ingens est in Martyrologiis varietas cum ad S. Eliphium devenitur; nam pleuraque Auctaria Usuardi, quæ in Germania et Belgio usitata fuerunt, ad stipulantur Martyrologio Romano: Gallica vero mentem sequantur Claudii Chastelain, sanctique Eliphii memoriam agro Tullensi, aut Prato amæno alligant. Archiepiscopus Hydruntinus De Aste, in annotatis ad Martyrologium Romanum, potissimum expungi cupit hæc posteriora verba: sub Juliano Apostata: quod quo jure cupiat, videbitur inferius.

4 Quicumque ab ineunte sæculo XVI de S. Eliphii disseruerunt gestis, ut Baronius, Ruyrius,

Gelenius, Usserius, Bailletus, Tillemontius, Calmetus alique complures, non antiquiora præ manibus habuisse videntur Acta, quam quæ Rupertus, abbas Tutiensis, circa annum 1130 conscripsit; quin immo Tillemontius in Historia Ecclesiastica (d) et Bailletus in notis ad vitam S. Eliphii autemasse videntur jam pridem periisse vitam, qua Rupertus in prologo apud Surium (e), se usum fuisse testatur his verbis: Qui primus nostrisque temporibus longe anterior, martyrium scripsit preciosi Martyris Eliphii, fundamentum posuit: vos autem Fratres Carissimi, tu Pater Albane, tecumque tui spirituales filii, parvitatem meam superædificare compellit. At quali versarentur in errore jam pridem ostenderunt decessores nostri Constantinus Suyskenus ad vitam S. Libarix die VIII Octobris (f) et Jacobus Bueus ad vitam S. Mennæ, quæ ad diem III Octobris (g) excusa est. Neque difficile eis erat illud negotium, cum in Museo suo asservatum haberent geminum passionis S. Eliphii exemplar, alterum e Ms. vetusto codice S. Viti in Gladbach descriptum, et cum Ms. codice e cenobio S. Magni Ordinis Canonico Regularium S. Augustini ad pedem pontis Ratisbonæ in Bavaria collatum. Reperimus hæc aliaque egrapha partim in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi, partim in abbacia Tongerloensi; atque adeo eadem typis expressa nobis exhibuerunt appendices, quæ Legendæ Aureæ, anno 1483 Coloniæ, et anno 1485 Lovanii excusæ, additæ fuerunt. Ex eodem fonte, non autem ex scriptione Ruperti, haustæ fuerunt lectiones de S. Eliphio, quæ Breviaria Coloniensia annis 1481 et 1498 excusa, et tertium Trajectense anno 1518 editum, capiunt; idemque affirmandum est de Vita S. Eliphii, quæ inserta est uberrimo Legendario Theotisco, anno 1485 Coloniæ apud Ludovicum Van Renchem impresso. Neque est quod dubitetur, quin hæc S. Eliphii Vita eadem sit, quam opusculi sui fundamentum nuncupat Rupertus: cum omnes præ se ferat characteres, quibus eam Tutiensis abbas distinguit, non satis jucundam eam appellans, neque satis idoneam propter nimiam simplicitatem: qui rem gestam non solum suo splendore non exornat, verum etiam quasi quodam fimo aliquantisper obscurat. Præterea cum ab eodem Ruperto non... aliud inveniretur pertinens ad memoriam ejusdem Martyris... præter scriptum illud, oportet omnino, ut non alia existerit Coloniæ, quam illa ipsa Passio, qua inter decantandum Officium utebantur, ut ex pristinis Coloniensibus Breviariis liquet. Atque hæc certum satis faciunt non periisse toties desideratam S. Eliphii Vitam, quæ prætulit Ruperto.

5 Cum autem num. 2 hujus Passionis S. Mennæ sacra Virgo et monacha ad Porsas condita dicitur, conatus est Bueus in citato de S. Menna Commentario ætatem hujus scriptiois inquirere; hæc ejus sunt verba: Cum itaque S. Mennæ corpus ad Portum suavem sub Brunone Tullensi episcopo ac Summo deinde Pontifice, anno supra millesimum trigesimo sexto, ut in decursu videbitur, primum translatum sit, consequens est, ut ante hunc annum scriptum suum non elucubravit anonymus, atque adeo uno sæculo tantum Rupertum ætate superarit, licet hic illum se longe antiquiorem nominarit. Neque tamen multo post dicendus est, tum quod Rupertus, qui anno 1137, auctore Miræo, e vivis abiit, eum se longe antiquiorem nulla veri specie dicere alias potuis-

D Fetus ejus Passio, quæ a pluribus perditæ æst mata fuit,

E

quod

F

non dicit post annum 1056 scripta est.

(a) Pag. 47. — (b) Ibid. — (c) Part. I. Eccles. Coloniens. nov. et antiq., p. 353. — (d) T. VII, p. 353 et not. XII ad

persecut. Juliani. — (e) T. V, p. 246. Edit. Colon. 1618. — (f) T. IV, Oct. p. 232. — (g) T. II, Oct., p. 150.

set,



A

set, tum quod id suadeat codicis Ratisponensis, cui S. Eliphii Vita inserta est, vetustas, quam 700 facile annorum esse, coniecit, quisquis tandem in Ratisponensi apographo nostro locum, unde S. Eliphii Vitam accepimus, annotavit. Neque iis Buci rationum momentis opponere fas est, Vitam illam interpolatam aut auctam aliquando fuisse; constare id ex codice S. Maximini Trevirensis, in quo reperire non est, quæ in aliis de Coloniensi S. Eliphii cultu asseruntur; eamque proin anteriorem esse anno 963, quo S. Eliphii corpus Coloniæ translatum est. Evertuntur hæc quippe objecta ex hoc ipso Trevirensi volumine, quod non secus ac reliqua S. Mennæ translationis meminit. Ex hac itaque Mss. varietate id unum conicere pronum est, Colonienses adjecisse S. Eliphii Passionem, ex agro Tullensi acceptæ, ea quæ ad civitatem suam pertinerent; atque inde centonem illum in plerosque codices admissum fuisse; Trevirenses vero Tullensi aliove usos fuisse Ms. a quo auctarium illud abesset. Cæterum quis eam S. Eliphii Vitam conscripserit, e nullis indicibus colligere licet: apparet id unum ex agri Tullensis accurata notitia, auctorem ad hunc pagum, minime vero ad Coloniensem civitatem pertinere. Quam sublestæ autem fidei sit integrum istud documentum, lectori deinceps satis liquebit.

B

et præluxit  
Ruperto circa  
annum  
1150 in ad-  
ornanda  
comptiore  
Vita.

6 Secundam Vitam, conscriptam a Ruperto, ad diem xvi Octobris fideliter edidit Surius, nihil eam stylo suo, ut plerumque assolet, reformans: quod quidem constat ex ejus collatione cum Ms. Coloniensi, quod nunc in bibliotheca Burgundica regia num. 2381 Bruxellensium asseratur. Quo anno conscripta fuerit non apprime determinare licet. Initio prologi testatur se ad scribendum inductum fuisse ab Albano abbate, ejusque monachis. De hoc Albano pauca excerptam ex Catalogo abbatis S. Martini Coloniensis, quem inter multa chronica et varii generis instrumenta nobis procuravit vir de re nostra hagiographica optime meritis Antonius Binterim. Porro secundum hunc Catalogum Albanus ille anno 1110 ex monasterio Brauwilerensi abbas postulatus fuerat. Anno 1124 occurrit ejus nomen in instrumento donationis, et in altero, quod ipse a Frederico Coloniensi archiepiscopo anno 1130 indictione viii, regnante Lothario Pissimo Romanorum rege III, impetraverat. Ad hæc addit Catalogi scriptor: Nec diu supervixisse videtur Albanus, hoc aut sequenti anno ad superos translatus. Cui vero ad hæc asserendum innitatur fundamento, non indicat; quin in articulo de sequenti abbate Willelmo æstimat anno 1136 abbatiale pedum in nullius manu fuisse: cum nihil sit cur ab eo dissentiat, Vitam S. Eliphii ante annum 1130 a Ruperto conscriptam fuisse cum eo statuendum videtur. Qualem vero operam præstiterit Rupertus ex ipsius prologo discere licet. Cum enim Vita, Monachis Coloniensibus et Ruperto Tuitiensi usitata, non satis jucunda neque satis idonea æstimaretur propter nimiam simplicitatem, utpote rem gestam non suo exornans splendore, verum etiam quasi quodam fumo obscurans, firmum ac splendidum superædificare ædificium super hoc angustum ac tenue fundamentum tentavit; quam in rem, quatenus pulchritudinem materiæ non pauperaret penuria facultatiæ, immo dignitatem rerum quasi coronando ambiret compositio, sive conveniens appositio sententiarum, Coloniensium confidebat piis orationibus.

C

7 Hæc ille de seipso: quibus addere licet, stylum ejus revera comptiorem esse, periodis nonnum-

(a) T. 1, col. 198 et seq.

quam illigatum, et multo jucundior legenti. Historiæ vero ordinem atque ipsas res gestas, quantum per objectas sibi fabulas licuit, nonnihil illustravit. Pro more temporis sacra Scriptura in ornamentum vocata fuit; ipsa autem Historia Ecclesiastica tripartita, Socrates in Historia Ecclesiastica, et Vita S. Martini, commentarii materiam præbuerunt, atque ea subministraverunt facta, quibus S. Eliphii Vita cum universa Historia Ecclesiastica colligatur; demum pristinum de S. Eliphio opusculum ita a Ruperto in usum adductum est, ut, si unum alterumve minimi momenti adjunctum excipias, Ruperti scriptio a priori scriptione non discrepet, quoad res a S. Eliphio gesta spectat; imo ut ipsa dicta quæ ab anonymo S. Eliphio tribuuntur verbotenus fere transcribat, laudabilissimo sane instituto; quoniam Martyrum verba quam maxime venerabilia sunt, ut Ruinartius in Præfatione ad Acta sincera Martyrum et Benedictus XIV lib. 1, cap. III de Canonizatione Sanctorum, aliique pluribus explicuerunt. Cæterum Ruperti opus non dicendum est purius quam quæ ei præluxit Vita; licet Bailletus, qui numquam hanc Vitam viderat, id asserere non dubitavit. Quod vero magis mirum est, cum ille idem scriptor in notis suis præviis ad Vitam S. Eliphii declarasset Ruperti sætum omni auctoritate carere, non alio tamen ipse utitur instrumento ad bene longam condendam Vitam; in qua quidem interdum a Ruperto discedit, at ut dubia aut mere putatitia dubiis aut falsis substituat; neque minoris proin auctoritatis est Ruperti scriptio quam scriptio Bailleti. Sunt et alii hagiologi qui Bailletum secuti sunt; sed dux cæcus in foveam deducit sequaces.

D

Rupertum,  
cujus sinceram  
operam male sprevit  
Bailletus, secutus est  
Bailletus ipsemet.

E

8 Ante Bailletum nonnullæ aliæ jam conditæ fuerant S. Eliphii Vitæ; de his sermonem facit Calmetus in historia Lotharingæ (a). Prima, quæ quatuordecim capita habet, Calmeto videtur scripta a Cl. Machon, cujus Ms. codicem exstare scribit in bibliotheca Cl. Sequierii; edita autem fuit ineunte sæculo XVI, et vix quidquam habet, quod alibi non occurrat. De reliquis sic loquitur idem Calmetus: Vidi Vitam seu Encomium Historicum S. Eliphii, conscriptam a P. Adriano Capuccino, et anno 1721 Nancei excusum; decerpta hæc dicitur non tantum ex abbate Ruperto et Surio, verum etiam ex hujus Sancti Vitis, quas Cl. Vici Doctor S. Theologiæ in Facultate Parisiensi et Jacobus Trigeon Doctor in Facultate Remensi anno 1578 Parisiensibus typis crediderant, et ex tertia quam Franciscus Henricus anno 1629 Nancei excudendam curaverat. At nihil in his reperi quam adjuncta quædam minus certa, quæ Ruperti narrationi superaddita fuerant. Hæc Calmetus. Ad manus mihi est illa P. Adriani scriptio, et insuper alia, quam ignoravit Lotharingæ historiographus: edita fuit Mussiponti anno 1602, eique auctor inscribitur M. P. M. C. D. S. E.; quibus siglis absque dubio signatur: M. P. M. Curé de St. Elophe.

aliique, qui recensentur, biographi.

F

§ II. S. Eliphii non videtur mortis damnatus a Juliano, neque a Sallustio præfecto, sed ab ignoto, Juliani gratiam aucupante.

Porro cum ab his in Vitas seu Passiones S. Eliphii annotationibus stylum transferimus ad ipsa S. Eliphii gesta, discutiendum tantum in præsentibus Commentario videtur, quis ejus martyrii auctor ex-

Julianus, qui S. Eliphium mortis damnasse dicitur,

stiterit.



A stiterit. Sunt scilicet qui S. Eliphium ab ipso Juliano apostata mortis damnatum asserant, eisque omnino suffragantur vetusta Passio et reliquæ ex eo fonte haustæ; sunt et alii qui S. Martyrem a præfecto Sallustio, Juliani apostatæ amicissimo, trucidatum statuunt, sibi que favere arbitrantur S. Hilarium Pictaviensem; demum sunt et tertii qui S. Eliphii martyrium ad Juliani referant tempora, licet a se non assignari posse profiteantur, quis Juliani præfectus S. Martyrem trucidari jussisset; eisque nos accenseri cupimus. Primam autem sententiam, quæ in vetusta Passione quam latissime diducta est, juvat paucioribus exponere, adhibito S. Eliphii elogio, quod in Auctario Usuardino Lubeco-Coloniensi ad diem xv Octobris ita sonat: In prato amœno super flumen, quod Vera dicitur, inter Grandensem et Tulensem civitates, natale S. Eliphii martyris; qui cum ferventer ea quæ sunt Christianæ fidei, Judæis et gentibus prædicasset, tandem sub Juliano apostata tentus et requisitus ut Christum negaret, respondit: Inimice veritatis et adversarie propriæ salutis, ad hæc utere consilio meo, et pœniteat te errasse, ut mortem æternam evadere possis. Audiens Julianus fremuit et jussit decollari, dicens: Nunc videbo, in quo Deus tuus prævaleat; et capite truncatus, cum gloria et honore pretiose martyrium complevit. Quo facto, corpus exanime se de terra transtulit et caput amputatum ambabus manibus amplectens, et fere per miliare deportavit in montem excelsum quem antea suæ sepulturæ elegerat. Sed nunc in Colonia Agrippina, in monasterio Sancti Martini episcopi, per translationem requiescit. Quæ ex Vita edenda contracta sunt.

anno 361 palam Christianus adhuc erat, neque dein in agrum Tulensem venit.

B 10 Verum universam hanc narrationem graviter quatit atque evertit Ammianus Marcellinus, comes Juliani et historiographus. Eo enim teste, cum Julianus anno 360 exente ab Attuariis debellatis rediisset, suisque cum copiis Viennam in Gallia convenisset, et totus in eo esset ut sibi adversus Constantium adscisceret vires; tum ille imperii affectator ut omnes nullo impediendo ad sui favorem illiceret, adherere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, aruspicinæ auguriisque intentus, et cæteris quæ deorum semper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dicitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit. Hæc Ammianus de Juliano lib. XXI referens res gestas circa ineuntem annum 361; et Ammiano consentit Zonaras, a Tillemontio (a) citatus. Atque ex his sane testimoniis manifestum fit S. Eliphium a Juliano nihil fuisse passum, cum hic anno superiore in Germaniam profectus esset, ut idem Ammianus lib. XX tradit. At investigari potest nam Julianus S. Eliphium capite damnavit, cum ipse, occiso Libinone, adversus Vadomarium Rheni ripas vastantem anno 361 profectus est. In promptu responsum est: vastabat scilicet ille barbarus Gallia fines Rhetiam versus; neque proin facile alicui persuasum iri confido, Julianum, qui, quantum in resistendo promptitudo valet, belle nosset, ita a rectiori via aberrasse, ut perrexit Grandim, Tullum, aut Solimariacam, cum ei Vienna proficiscendum et Basileensis ager petendus foret. Præterea, cum adulta jam æstate, compositis barbarorum trans Rhenum copiis, (ut Zosimus (b) tradit) velut ad profectionem longinquam omnem exercitum instrueret, nondum hypocriseos larvam po-

suerat. Quod Ammianus lib. XXI nos quoque docet his verbis: Incertus de militum fide, placata ritu SECRETIORE Bellona, classico ad concionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens, jamque, ut apparebat, fidentior, hæc clarius solito disserebat: jamdudum tacita, etc. Et sequitur oratiuncula in qua bis de Deo disserit, nusquam de diis, et de paucis aliis, quæ Christianum non Idololatriam sapiunt. Ab hoc tempore in Gallias non amplius reversus est Julianus, sed continuo per Alpes Illyriam petiit: unde in eum conjiciendæ non sunt capitis pœnæ a S. Eliphio petiitæ.

11 Sed undique urgent adversarii: Baronius quippe animadvertit in notis Martyrologium Romanum de Juliano, dum esset in Galliis cum exercitu, duo tempora distinguenda esse: prius cum se non tantum Christianum esse (ut scribit Ammianus Marcellinus) sacros Christianorum conventus adiens profitebatur, sed (ut scribit S. Hilarius contra Constantium) Catholicis adversus Arianos favebat; posterius autem tempus, quando ab exercitu acclamatus imperator, exiens hypocrisim, palam deos gentilium coluit, ut ipse testatur in epistola XXXIX ad Maximum Philosophum, quam tunc scripsit cum adhuc esset in Galliis, quæ inter alia hæc habet in fine: « Deos publice et palam colimus, et totus meus exercitus pietatem amat, nos aperte boves immolamus, » etc. Sed rite Franciscus De Aste, Archiepiscopus Hydruntinus in suis ad Romanum Martyrologium disceptionibus observat prælaudatas litteras ad Maximum scriptas non fuisse in Galliis, sed quum ex ipsis Galliis ad Illyrios pervenisset, ut eruitur ex ipso Baronio ad annum 362 num. v, in Annalibus, re jam ultro citroque in apertum bellum disposita.

12 Verum idem Hydruntinus Archiepiscopus cum auctoritate Baronii nos liberat, alio sibi que proprio vinculo nos stringit, cum affirmat Zosimum lib. III, adstruere his verbis: Julianum in Galliis publice immolasse. At bona doctissimi viri venia objectum hoc solvere liceat. Erravit scilicet vir præclarus cum hæc non ex Zosimo, sed ex Baronio, in Annalibus minus fide Zosimi verba recitante, descripsit. Ecce enim quæ Zosimus lib. III, cap. IX, subdit, cum enarrauit nuntiatio fuisse Constantio Julianum Imperatorem Augustum appellatum fuisse: Κωνσταντῖος δὲ εἰς τοσοῦτον ὄργης τε καὶ ἀλαζονείας ἤνέχθη, ὥστε πρὸς τοὺς πρέσβεις εἰπεῖν, ὅς προσήκει Ἰουλιανὸν τοῦ ζῆν ἀντεχόμενον ἀποθέσθαι πρὸς τῆ βασιλείᾳ καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σχῆμα, κατὰστάνα δὲ ἰδιώτην ἑαυτὸν τῆ προαίρεσι τοῦ βασιλέως ἐκδοῦναι· μηδὲ γὰρ πείσεσθαι τι θεῶν μηδὲ ἀξίων ὧν ἐτόλμησε. Ταῦτα ἀνηκούδης Ἰουλιανὸς παρὰ τῶν πρέσβεων εἰς τὸ ἐμφανὲς ἔδειξεν ἢν εἶχε περὶ τὸ θεῶν προαίρεσιν, ἀνταρῆς εἰς ἐπήκουον πάντων εἰπὼν ὡς τοῖς θεοῖς ἄμεινον ἢ τοῖς Κωνσταντῖου λόγοις ἑαυτὸν τε καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐκδοῦναι. Quæ sic latina facio: Constantius vero ad tantam iram atque arrogantiam elatus est, ut legatis dixerit par esse ut Julianus, si vivere curaret, Caesaris habitum una cum imperio poneret, et privatam vitam amplexus se arbitrio imperatoris traderet: neque enim quidpiam mali, vel iis quæ ausus fuerat digni peressurum. Hæc cum audiisset Julianus ex legatis, palam suam de numine sententiam ostendit, coram, ita ut quisvis audiret, dicens se potius diis quam Constantio se suamque vitam crediturum. Verum nihil in hoc Zosimi testimonio est, unde Julianus arguatur publice

Frustra huic sententiæ opponit Baronius Juliani litteras,

Franciscus de Aste Zosimi asserta,

(a) T. IV, p. 188, Hist. des Emp. — (b) Lib. XIII, cap. X, p. 137. Edit. Bonnensis.



A in Galliis immolasse victimas; sed id tantum inde colligitur, ei irato aut trepidanti excidisse verba, quibus apparet eum tunc temporis non sincero animo Christianum fuisse, qualis exterius et palam videretur. Cæterum cum Julianus anno 361 in hæc imprudentia verba solverit linguam, neque exinde Tullensem petierit agrum, non diutius iis immorandum est.

Bueus S. Hieronymum,

13 Sed ipsa Sanctorum acta respirandi spatium non faciunt: Bueus enim noster in vita S. Mennæ ad III Octobris (a) pluribus comprobare tentavit Julianum in Galliis publice idolorum cultorem existisse; cujus sententiæ testem facit S. Hieronymum in Epitaphio Nepotiani hæc scribentem: Julianus proditor animæ suæ et Christiani jugulator exercitus Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat. Verum etiamsi S. Hieronymi auctoritas Ammiano præcellere deberet (quod cum de Juliano gestis agitur, admittere non licet) nihil tamen ex hoc S. Hieronymi testimonio confici potest; quoniam S. Hieronymus ex professo Juliani historiam hoc loco non digerebat, et potissimum quidem quoniam hæc negatio clanculo fieri potuit. At instat Bueus, publicam fuisse negationem asserens, quoniam privatam jam ab annis duodecim (imo decem) fecerat, ut ipsemet scripsit ad Alexandrinos, cum nuper (imo duobus fere annis post, ut docet Baronius ad annum 361 § III) ad occupandum imperium e Galliis excessisset, cujus in Galliis commoratio sexennium non excessit. Valeret apprimè hæc probatio, si constaret Juliani epistolam et quæ includeret S. Hieronymo cum id scriberet perspectam fuisse, et S. Hieronymum non alludere ad verba quæ superiori numero ex Zosimo retulimus, aut ad aliquid simile quod nos lateat. Præterea quis noverit num S. Hieronymus Helvetiam Galliæ annumeret, quemadmodum Zosimus (b) Parisios oppidulum Germaniæ dicit? Quod quidem gravissime timo, quoniam ea ejusdem phraseos pars, qua Julianus Christum in Media sensisse dicitur, non nihil suspecta est: nam si Tillemontii dicta, genuinis innixa fundamentis, cum tabulis chronographicis Asiæ, a celeberrimo Klaproth confectis, conferam; potius in Assyria aut Armenia meridionali, quam in Media, Julianus Christum sensisse dicendus videtur. Atque hæc satis sunt, quoniam fiducia est neminem obscuro S. Hieronymi testimonio usurum esse, ut clarum Ammiani Marcellini, ex professo Juliani historiam describentis, auctoritatem neget.

B

et litteras Juliani ad Athenienses.

C 14 At Ammianus non audiendus est, scribit idem colendus mihi decessor, atque hujus assertionis quatuor rationum momenta adducit, quarum brevitatis causa unam tantum, sed gravissimam recenseo: Julianus scilicet in epistola ad S. P. Q. Atheniensem, in vivis adhuc agente Constantio, scripta, suam a fide Catholica defectionem aperte profiteatur, ut hæc in re minime audiendus videatur Ammianus, dum lib. XXII, cap. v, ait Julianum tum primum pectoris sui arcana patefecisse, cum mortuo Constantio, solus universo potiretur imperio. Accusatio non mollis, sed specie tenus tantum: Zosimus enim (c) aperte declarat litteras ad Athenienses tantum datas fuisse post egressum e Galliis: atque hæc non absona sunt ab his quæ tradit Marcellinus loco citato, ubi hæc, non alia inventio verba: Et quanquam a rudimentis pueritiæ primis inclinatio erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat, multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissime. Ubi vero, abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus fa-

ciundi quæ vellet advertit, sui pectoris patefecit arcana: et planis absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri, et reparari deorum cultum statuit. Ubi duo advertenda sunt: prius nempe, hoc loco Marcellinum in pingendis Juliani moribus esse; quocirca minime hæc referenda sunt ad ultima Juliani tempora, de quibus hoc libro jam sermo fit; sed ad totam Juliani quasi vitam. Alterum vero illud: abolitis quæ verebatur, male verti a Bueo his verbis: Constantio mortuo; quoniam, dum id valeret si de alio quam de Marcellino ageretur (plurimi enim historici deducunt a Constantio Juliani timorem) minime in Marcellino admitti potest, qui, ut verbis num. 10 recitatis patet, Juliani timorem ex eo ortum declarat, quod plerique milites, sub ipso merentes, Christiani erant. Reliqua autem quæ opponit Bueus facile diluuntur tum ope tabulæ geographicæ, tum his quæ superioribus numeris attulimus. Atque hæc satis esse arbitror, ut deserenda videatur hæc prima sententia, S. Eliphium ab ipso Juliano capitis damnatum fuisse, utque maxime stylo verso digna censeantur quæ anonymus Passionis auctor de lege adversus Christianos, a Juliano in Galliis degente lata, deque S. Eliphii interrogatorio conscripsit.

D

15 In Annalibus ecclesiasticis (d) celeberrimus Baronius cardinalis, primum opinandi modum a se aliquando in notis ad martyrologium Romanum propugnatum missum faciens, secundum his prodit verbis: In Galliis ubi præfecturam gessit Sallustius, Juliano omnium carissimus, ob idque Christianorum acerbissimus hostis, passos reperimus quatuor Germanos Eliphium Tullensem virum, ejus fratrem Eucharium Episcopum, et sorores Libariam, atque Susannam, ut eorumdem martyrum acta (Rupertiana nempe) significant; at perperam, mea sententia, dicuntur consummasse martyrium dum Julianus adhuc cum exercitu in Galliis moraretur. Hæc doctissimi Cardinalis opinio, quam inferius num. 260 confirmare tentat ex S. Hieronymo asserens S. Hilarium Episcopum Pictaviensem libello nunc deperdito exagitate Sallustium hunc, sive Dioscorum vicem ejus gerentem. Verum audiendus est Tillemontius hanc annalistarum sententiam, quam Adrianus Bailletus et Butler secuti sunt, omnino labefactans et subruens aut saltem quam maxime incertam faciens: Baronius, inquit criticus Gallus, inductus fuit ad credendum Sallustium Galliarum præfectum aut Dioscorum vices ejus gerentem, Christianos insectatum fuisse testimonio S. Hieronymi, asserentis (e) scriptiorem a S. Hilario editam fuisse adversus præfectum istum aut adversus medicum nomine Dioscorum. Debilis est hæc probatio, cum conditio medici cum vices gerentis munere nil commune habeat, unde illa in unum confundantur, et cum S. Hilario aliæ de Sallustio congerendi causæ præter persecutionem Ecclesiæ esse potuerint: cæterum non videntur Christiani soliti fuisse scriptis lacessere magistratus gentiles, qui fidem suam abolere studebant. Præterea ubi alii in S. Hieronymi scriptis legerunt: « adversus præfectum Sallustium sive contra Dioscorum, » Miraus edidit (f) « ad Præfectum. » Et reapse multo pronius erat scribi: « adversus Sallustium et Dioscorum. » Versio autem græca suffragatur editioni Miræi, πρὸς Σαλούστιον, ἤτοι κατὰ Διοσκόρου, ad Sallustium seu contra Dioscorum. S. Hieronymus ejusdem Hilarii scriptionis mentionem faciens, eam adversus Dioscorum confectam ait, si-

E

Neque asserti potest Sallustium sævisse in S. Eliphium;

F

(a) T. II, Oct., p. 155. — (b) Lib. III, cap. IX. — (c) Lib. III, cap. X. — (d) Ad annum 362, § CCXVI. — (e) Hier. de Vir.

III, c. 100. Ep. 84. — (f) Pag. 30. Conf. annotata Fabrielli ad cit. S. Hieronymi locum. Edit. Hamburg. 1718, p. 188.



A lens eo loci de Sallustio. Atque hæc Tillemontius Sallustianam persecutionem diluens.

qui tamen  
Juliani tem-  
poribus mar-  
tyrium pas-  
sus censen-  
sus est.

16 Verum licet Julianus ipsemet S. Eliphium martyrum nece non affecerit, et dubium incertumque omnino sit generalem persecutionem adversus Christianos a Sallustio præfecto commotam fuisse, adhærendum tamen videtur antiquissimæ Tullensi traditioni, quam ipse Tillemontius plane non sprexit, referendumque istud martyrium ad Juliani tempora. Verisimile enim est plures fuisse inter magistratus copiarumque duces, ab imperatore illo in Galliis relictos, eorum deinceps destinatos, qui ut principis gratiam sibi demerent, boni consuluerint ejus adversus Christianos odium induere, eosque ultimis afficere cruciatibus. Cui sententiæ pondus suum addunt non tantum quæcumque de S. Eliphio supersunt monumenta, verum etiam populares traditiones de aliis Sanctis pluribus; qualis est S. Bolonia, de qua continuo post S. Eliphium dicendum est. Et quidem persecutionis gladius potissimum in Campania Lotharingiaque, ad quem terræ tractum Tullensis ager pertinet, id temporis sævisse videtur. Nusquam enim plures reperiuntur Martyres, quorum palastra ad Julianum referatur. Pro his itaque conjecturis statuendum est, S. Eliphium anno 382 aut sequenti martyrii coronam nactum fuisse. Dubium autem moveri potest nullum de loco, ubi Christi athleta animam pro Deo posuit; quoniam sexcenta de eo supersunt indicia, quæ immemorabilis cultus sacra fecit, ut in sequenti § satis superque manifestum fiet.

### § III. De cultu S. Eliphii in Gallia.

In parœcia  
S. Eliphii in-  
signe ejus  
nominis est  
templum.

C In præsentia § de cultu S. Eliphii dicturo, exordium ducendum videtur ab ipso loco, ubi S. Eliphii sacra exuviam primum condita fuerunt. Accepit autem is locus suum nomen ab ipso Sancto et gallice vulgo dicitur St.-Elophie, jacetque ad dextram Veræ (le Vair), ubi rivus hic secatur veteri via militari romana, novaque regia, quæ Neocastrum (Neufchâteau) Nanceo (Nancy) alligat. In præsentia complectitur hæc parœcia vicos quatuor, primum a Sancto Eliphio nuncupatum, 125 habentem, incolas, secundum Brancourt civium 400, tertium Solimariacam (Soulosse) 150 frequentem, et demum Fruse ex 140 inquilinis constantem. Templum, S. Martyre nostro patrono gaudens, quod in primo vico est, olim celebratum jam fuit a Ruyrio in Sacris Antiquitatibus Vosagi (a), a P. Benedicto Tullensi Historiographo (b) et in Breviario Tullensi anni 1748. De præsentia autem ejus conditione non secus ac de aliis monumentis, plura didicimus ex eruditissimis litteris, quas nuperius ad nos dedit Cl. V. Augustus Digot ex Academia Stanislai Nanceensi. Imprimis in hoc Sancti Eliphii templo, quod in monte exstructum est, plures exstant calaturæ, quibus Sanctus mitra redimitus exhibetur; vulgo creditur S. Eliphii is esse; at præplacet sententia, quæ S. Eucharium, quem Eliphii fratrem et Grandensem episcopum fuisse tradunt, hæc forma fingi statuit. In choro sepulcrum S. Eliphii est, ad quod gradibus nonnullis descendere licet. Consurgit super eo, septem minoribus columnis sustentata, statua S. Martyris, veste sacerdotali seu potius dalmatica (volunt nempe eum fuisse archidiaconum) induti, suisque manibus abscissum caput gerentis; qui unus ejus effigendi modus est. Baculum brachio sinistro ad la-

(a) Pag. 296. — (b) Hist. de Toul, p. 212. — (c) Lib. 1, cap. 37, num. 7. — (d) Sub initio, t. I. — (e) Eloge Histor.,

D tus stringit, leonemque ad pedes jacentem habet. Inscrubitur tumulo :

SEPULCRUM  
D. ELIPHI MARTYRIS  
AN. 459.

Hæc autem inscriptio duplex mihi parit dubium. Et enim loco an. 459, ut exscriptum fuit, legendum videtur an. 359, quo Julianus per Tullensem agrum transit; dein minime videtur ille lapis antiquus, quoniam illud D., quo Divus designatur ad recentiora tempora pertinet, ut colligere licet ex Benedicto XIV in opere de Canonizatione Sanctorum (c) et ex Cardinali Bellarmino in recognitione librorum suorum (d). At hæc de debili hujus monumenti auctoritate notasse satis erit. Columnis autem, quibus S. Eliphii effigiem fulciri dicimus, insculpta sunt anaglypta, quibus exhibentur attributi S. Eliphii frater et sorores Eucharium, Libaria, Susanna, Menna, Oda et Gontruda. Septimus forte alter ex parentibus est. Ornatum olim erat id S. Eliphii templum tabulis plurimis ad murum pictis; quarum quæ una ad fontes baptismales superest, proponit S. Eliphium, viros permultos ad idolorum cultu ad Christi sacra traducentem. Ei apponitur hæc inscriptio :

Julien Empereur apostat fait camper son armée à Soulosse où il apprend que St Elophe par un seul de ses sermons avoit converty à la foy de Jésus-Christ 236 payens.

Atque hæc de illo olim pulcherrimo templo, quod ab exeunte sæculo superiore nonnihil passum fuit.

18 In vicinia supersunt et alia plurima monumenta, quæ satis habeo recensuisse, quoniam ex edenda inferius Passione facile erit unicuique determinare, unde ortæ sint quæ illis annectuntur populares traditiones, et quam parum hæc ipsæ nedum tutæ, sed minime credibiles sint. In templi itaque cœmeterio jacet ingens lapis impolitus, cui insedis adstruit P. Adrianus Capuccinus Nanceensis (e) B. nostrum Martyrem, cum caput abscissum in montem deferret, et ex quo pii peregrini frustula decerpere consueverunt. Circumdatus est ædícula, quod Sacrarium Cathedræ S. Eliphii dicitur. Paulo inferius rupes, anno 361, quem S. Eliphii emortualet putarunt, notata, cernitur; in qua post mortem Sanctum se abscondisse narrat Passio vetusta, quoniam, ut addunt biographi Machon citatus a Calmeto (f), parochus Sancti Eliphii (g) et P. Adrianus Capuccinus Nanceensis (h), Julianus jusserat ut sui eum sequerentur milites et igni truncatum ejus corpus traderent.

sacrarium  
cathedræ S.  
Eliphii,

19 Medio fere montis clivo, inter S. Eliphii templum et Solimariacam ad collis radices jacentem, alius est locus, cui popularis quoque annectitur historiuncula, omissa in Passione vetusta, in reliquis vero biographiis explicita. Fons ille elicitus dicitur baculo S. Eliphii, cum abscisso capite in montem pergentis. Ei etiamnum adjacet lamina triangularis ferrea, cujus P. Adrianus Capuccinus anno 1721 jam meminit, quæque contegere dicitur aliquot Eliphiani sanguinis guttas. Eam circuire in more est inter peregrinantes; unde paulatim circumcirca excavatum est saxum. Ad imum montem juxta rivum Veram ædícula consurgit, quam idem P. Adrianus Sacellum decollationis Sancti Eliphii appellat, populus vero Sainte Espalotte, Espaiotte, Epagnotte, Epéotte. Credebat populus, cum biographus Ma-

fons S. Eliphii et sacellum sacræ spathe,

p. 73. — (f) Hist. de Lorraine, t. I, col. 198. — (g) Vie et Martyre, etc., pag. 12. — (h) Elog. Historique, etc., p. 49.

chon



A chon S. Eliphii Passionem scriberet, ita designari famulam S. Eliphii; verum recte animadvertisse videtur Calmetus (a) vocabulum illud derivatum esse a sacra spatha (ensis); et quidem scripsit ad nos laudatus D. Digot sacellum illud istic quoque dici la chapelle de la sainte épée. Inscritur huic ædiculæ annus 1614, quo exstructa fuit, et continet lapideum anaglypton, duo metra (si hæc vox feratur) longum et sesqui metrum porrectum in altitudinem. Videre in eo est exsculptum templum S. Eliphii, sacellum sacre Spathæ, virginem seu angelum palmam manu tenentem (unde fors rumor de S. Eliphii famula manat), illudque victoriæ signum deferentem ad S. Martirem; S. Eliphium dein baculo suo munitum et cum absisso inter manus capite pergentem ad clivum, eundem postea genibus positum gladiique subeuentem ictum, et sexto demum Juliani imperatoris tribunal, cui adstat S. Eliphii, a quatuor militibus custoditus.

20 Inde si pedem ad sinistram rivuli Veræ transferimus, in Solimariacam incidimus; ubi his etiam temporibus ostenditur locus, quem S. Eliphii macteriem (Masure de S. Elophæ) populares appellant, et domum arbitrantur S. Eliphii parentum, quos Baccium et Lieutrudem (b) nominatos fuisse volunt. Excluditur tamen is locus e stationum numero, ad quas jam anno 1721 (ut P. Adrianus testis est) preces fundere solebant pii peregrinantes, et adhuc in præsentia fundere auctor nobis est D. Digot. Prima scilicet statio est sacellum sanctæ spathæ; secunda, fons S. Eliphii; tertia, rupes qua S. Martyr absconditus est; quarta, ædicula cathedræ S. Eliphii; quinta fit coram sacris Patroni Reliquiis; sexta demum, ad ejusdem sepulcrum.

21 Pius mos ad S. Eliphii præcipuum templum peregrinandi floruit foretque ab immemorabili tempore inter Lotharingiæ Campaniæque incolas, qui a podagra, calculo, febrî aliisque morbis divinitus liberari cupiant, ut testis est Ruyrius (c) et P. Adrianus (d); atque olim (e) et etiam nunc quam plurimi profitentur cæleste se illic experiri auxilium, ut Cl. Digot ad nos rescripsit. Reperio tamen unum tantum divinæ hujus opis specimen, quod latius explicetur a biographo S. Eliphii, quem homonymi vici parochum sæpius dicimus. Testatur id se proderi ex commentario, qui a notario publico signatus in templi archivo asservabatur. Anno scilicet 1463 vir nomine Remigius Petit, alias Senot, ortus ex vico Gray ad Ararim fluvium, septem annos incurabili laborarat morbo. Qui cum inaudisset plura miracula, quæ ad S. Eliphii sepulcrum fierent, voto se adstrinxit ad peregrinationem instituendam, atque illico melius se habere sensit, et omnino se sanatum vidit, cum S. Martyris templum ingressus, ejus incubisset sepulcro quod in choro est, suamque absolvisset orationem. Ille idem cum domum esset redux, moribundam invenit suam filiulam; quocirca novo peregrinationis voto nuncupato, continuo validam vidit puellam.

22 Particeps autem olim erat vicina parecia Ruppens pii hujus accolarum concursus. Quotannis (quo die nescio), consentiente episcopo Tullensi, conveniebant Ruppenses supplicantium ordine ad S. Eliphii templum, B. Martyris conquisituri Reliquias. Earum restituendarum vades fiebant præcipui e Ruppensibus, in quorum præsentia recognoscebantur sacre exuvie, sigillum renovabatur et gestorum scribebatur commentarius. Deferebatur dein pium pignus in Ruppense templum, ubi integrum

octiduum populorum pietati exponebatur; eo expleto, reportabatur a supplicantium agmine feretrum, et denuo multa solemnitate recognoscebatur. Hæc non amplius fieri scripsit ad nos sæpe laudatus Cl. V. Digot, et peregrinorum cohortes, quas vulgo processiones dicimus, nunc ad unum S. Eliphii templum pergere; quod maxime obtinere locum, cum calamitas aliqua in vicinam regionem ingruit.

23 Sacre autem Reliquiæ, quæ in S. Eliphii templo asservantur, constant ex aliquot tantum minoribus ossibus, quæ istic relicta sunt, cum circa annum 963, ut inferius manifestum faciemus, S. Geraldus Tullensis episcopus totum fere S. Martyris corpus S. Brunoni, Coloniensi antistiti, et magno Ottonis germano, concessit; quæ concessio quantum desiderium creavit universis Tullensibus testatur inferius scriptor indigena, qui circa annum 978 miracula S. Apri collegit. Quæ autem superant ossicula inclusa fuerant pyxidi, quam hæretici e Germania in Lotharingiam irrupentes prius anno 1587 frugerunt, argenteisque ornamentis spoliaverunt, ut in Historia Tullensi tradidit P. Benedictus. In templo tamen ab iis relicti sunt sacri pulveres, quos nova dein theca clausurunt. Hæc aliæque valuerunt, ut Sancti Eliphii templi accolæ nihil deinceps prætermiserint, ut integrum sibi servarent sacrum thesaurum. Quocirca cum anno 1612, sic scribit Ruyrius (f), Tullensis episcopus Joannes Porcelet de Maillan, vir multis meritis præclarus, diocæsim suam obire, et rescire vellet quid reliquiaria contineret capsula, plebecula indiscreto zelo excita (verebatur scilicet ne quid de sacris exuviis auferretur) magnum in templo suscitavit tumultum; adeo ut præsul in sacro suggestu latitare coactus fuerit, ne vesano horum hominum furori obnoxius esset; quæ inverecunda Sant-Eliphensium audacia interdicto punita est. Hæc sibi asseveranter ita narrata fuisse subdit Ruyrius. Adjuncta quædam alia in Ruyrii narratu ommissa, quæ incolarum timorem furoremque explicant, subministravit nobis Cl. V. Digot. Dum scilicet in templo esset episcopus, venit forte ad S. Eliphii supplicantium Neocastrensiæ agmen; quos particulas S. Martyris Reliquiarum conquisituros arbitrati, Sant-Eliphiani et Brancurtenses, lapidibus eos adorti sunt et in fugam verterunt.

24 Idem tamen patroni sui zelatores propellere nequiverunt injuriam, aliquot annis post ejus Reliquiis illatam. Sueci quippe anno 1633, ut P. Benedictus in Historia Tullensi refert, dum in Lotharingia versarentur, denuo argento spoliaverunt sacram lipsantheam, quin tamen S. Martyris ossa destruxerint. Pium thesaurum anno 1688 recognovit episcopus designatus Tullensis Thiard de Bissy, jussitque ut ossicula pyxidi stannea, panno serico rubro vestita, insererentur; in qua ad hodiernum usque diem recondita jacent. Sæpius dein recognita fuere; sed de una recognitione satis erit dixisse. Die nempe XIV Novembris anni 1690 pium pignus imponendum erat ditissimo feretro, quod Simon Sallet, Dominus de Lijou et Vilouzel, thesaurarius generalis Lotharingiæ, dono dederat; quocirca jusserunt Vicarii generales capitulares Tullenses de l'Aigle et Menget, ut S. Martyris exuvia examinarentur denuo. Nondum quippe designatus episcopus Thiard de Bissy institutionem canonicam a Pontifice supremo acceperat propter notissimas, quæ tunc inter sedem Romanam et Ludovicum XIV ardebant lites: unde perplexam illam administratio-

D

Sacra S. Eliphii reliquiæ minuantur, bis violantur ab hæreticis et sæpius

E

juridice visitantur.

F

(a) Hist. de Lorraine, t. I, col. 498. — (b) Ruyr, Antiq. des Vosges, p. 295. — (c) Op. cit., p. 296. — (d) Ibid. p. 60.

— (e) Ibid. p. 59. — (f) Antiq. des Vosges, p. 296 et seq.

nem



A nem patiebatur Tullensis diocesis. Hæc de monumentis S. Martyris, quæ in ipso passionis loco supersunt.

Neocastri et Tulli servabantur olim sacri aliquot S. Eliphii pulveres;

25 Teste P. Benedicto (a) eminebat olim oppidum Neocastrum (Neufchâteau) sua in S. Eliphium pietate; quem in publicis necessitatibus potissimum invocabat. Verisimillime promotus fuit plurimum hæc religio, quando superiori sæculo, ut scripsit Cl. Digot, ad nobilem fæminam, consanguineam unius ex ultimis archiepiscopis electoribus Coloniensibus, et nomine, ut videtur, Dessolles missæ fuerunt aliquot sacræ particule, quæ dein parœciæ Sancti Nicolai Neocastrensi donatæ fuerunt. Quæ anno 1763 gesta fuisse videntur, et ex in Breviario Coloniensi anni 1780 (Coloniæ scilicet pleraque S. Eliphii ossa olim transvecta fuisse videbimus inferius) legatur: Arca... sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam deferenda... Nunc vero, ut rescripsit Cl. V. Digot, Neocastrensis ille cultus fere nullus est. In pristino templo cathedrali Tullensi ab anno circiter 963 asservabantur ante tumultus Gallicos, teste P. Benedicto (b), particule aliquot e corpore S. Eliphii; at nunc, ut ex litteris parochi archipresbyteri hujus templi intelligo, nihil de iis illic amplius superest, nequidem prisca de iis instrumenta. Sed alibi plura de S. Eliphii sacris exuviis.

et plura templa eius patrocinio,

26 Præter parœciam S. Eliphii sunt et alia plura templa, quæ S. Eliphio patrono gaudent. Vetus Index beneficiorum ecclesiasticorum et munerum civilium diocesis Tullensis (c) Grafniacum (Grafigny), Claretum in decanatu Santonensi (Clerey) et Puerotum (Puerot); quibus nunc addenda Cl. V. Digot auctor est Graux, Viviers-le-gras et Féocourt. Extra pristinam Tullensem diocesim erant quoque aliquot templa, eisdem usa auspiciis. Die XIV Octobris anni 1685 scripsit Claudius Chastelain ad Papebrochium nostrum in hæc verba: Rampilone (Rampillon) in pago Brigensi (Brie) admiratus sum magnificum, gothico ordine extractum, templum, quod S. Eliphio martyri Tullensi sacrum est, atque nunc parochialis, olim autem Templariorum ecclesia erat. Sunt præterea in Pertico pago alia duæ ecclesiæ huic Sancto consecratæ. Hæc ille: quibus addere licet ex Indice beneficiorum diocesis Carnotensis sæculo XII, a Cl. V. Guerard cartulario S. Petri Carnotensis inserto, in diocesi Carnotensi olim existisse parœciam nomine Vallem-Pillonis (Vaupillon) cui S. Eliphii patronus erat. Addit in nota editor in hodierno Indice beneficiorum hunc locum apparere tamquam ecclesiam annexam parœciæ S. Eliphii (d).

loca vero et familie ejus nomine gaudebant.

27 Neque intra templa tantum continuit se S. Eliphii cultus. Auctor enim citati Indicis Beneficiorum Tullensium (e), qui multus quoque est in laudanda vetustate et pulchritudine S. Eliphii templi populique venerabundi ad id concursu, asserit quosdam illic olim parochi assignatos fuisse redditus, qui a S. Eliphio nomen mutuati, S. Eliphii dicebantur campus. Quod nomen gentilium quoque factum fuit, ut liquet ex instrumento in Annalibus Præmonstratensibus (f), excuso, ubi Theodoricus quidam de Sancto Elepho signatur; præterea in tomo XIII (g) Gallix Christianæ novæ, mentio fit terræ et domini de Sancto Eliphio. Hucusque de templis, ædiculis, aliisque rebus, quibus S. Eliphii

cultus aut nomen potissimum adhæret; priusquam tamen pedem extra Galliam feramus, superest ut de ejus ecclesiastico Officio fiat sermo.

28 Dubium non est quin omnium antiquissime id Officium celebratum sit in parœciâ, quæ Sancti nomine et sepulcro fruitur. Nescio an aliquando mos iste post gallicæ reipublicæ tumultus cessaverit; quidquid id est, celebratur nunc solemnissimo ritu ex concessione Benedicti Costax, episcopi designati Nanceensis; qui die XXVII Februarii anni 1813 hanc facultatem fecit deservitori seu parochi S. Eliphii; quæ parœciâ id temporis diocesi Nanceensi claudebatur, utpote pertinens ad tractum, quem vulgo Département des Vosges nuncupamus, et ex quo in præsentia diocesis San-Deodatensis constat. E parœciâ S. Eliphii transiit hujus Martyris cultus ad totam prisicam diocesim Tullensem, de qua pauca præfanda sunt. Ante annum nempe 1777 quam latissime patebat spiritalis episcopi Tullensis ditio, complexa Ducatum Lotharingæ et Barri partes Australes una cum tractu qui inter eas atque inter Mosam et Mosellam medius jacet, quemadmodum Limpemus noster in suo ad S. Mansueti Acta Commentario, sub die III Septembris annotat. Verum Ludovicus XV Franciæ Rex operæ pretium esse, duos in Ducatu Lotharingæ episcopatus, unum in urbe Nanceo, alterum in S. Deodati constituere, censuit. Propositum avi sui comprobavit Ludovicus XVI die XII mensis Martii 1775; summusque Pontifex Pius VI erectionis bullam dedit XIII kalendas Decembris 1777. Unde diocesis Tullensis maximam passa est imminutionem, quippe quod ex ea una duorum episcopatus territoria distracta fuerunt. Verum anno 1801, cum concordatus cum Republica Gallica sancitus est, sedes Tullensis suppressa fuit et unita Nanceensi. Porro in pristina diocesi Tullensi quam antiquissime Sanctum nostrum fuisse cultum liquet e Ms. ac vetustissimo (utpote quod nec S. Ludovici Gallix Regis, nec Patriarcharum Dominici et Francisci meminit) Tullensi Breviario, quod hæc in præfatio calendario habet: XVII kal. Novembris S. Eliphii IX Lect.; cui consonat Breviarium anni 1535, hæc in Calendario statuens: XVII kal. Eliphii Martyris. Utrumque vero Breviarium cum de Sancto nostro officium non habeat, e communi Martyris officium fuisse dictum æstimandum est. In Breviario autem anni 1626, ut ad nos perscripsit R. D. Marchal, parochus in Heillecourt, tertia lectio propria est, et e Rupertiana S. Eliphii Passione desumpta. In Breviarii annorum 1684 et 1695 officium exstat novem lectionum, quarum quarta et quinta item ex S. Martyris Passione depromptæ fuerunt; quas, siquidem nihil habent quod rem historicam aut liturgicam illustrare queat, missas facimus. Ut ex eodem R. D. Marchal rescivimus, præscribitur ad S. Eliphii festum Missa de Communi unius Martyris in Missalibus Tullensibus annorum 1508, 1537 et 1551; propria vero sed nequaquam insignis proponitur, in Missali anni 1686; in recentiora autem reducta fuit Missa de Communi. In diocesis, quas ex veteri Tullensi distractas dicimus, S. Eliphii cultus perseverasse videtur. Saltem in Calendario liturgico San-Deodatensi anni 1830 præscribitur festivitas S. Martyris sub ritu semiduplici. Cultus S. Eliphii in diocesi Coloniensi et alibi locorum superest explicandus.

(a) Hist. de Toul, p. 212. — (b) Ibid. p. 212 et 318. — (c) Pouillé ecclésiastique et civil, t. I. — (d) Carul, de S.

Père de Chartres, p. cccxv. — (e) p. 424. — (f) T. I, col. 552. — (g) col. 1027 et col. 1134.



A

§ IV. De translatione corporis S. Eliphii, cujus omnia fere sacra ossa Colonienses acceperunt.

Colonienses contendunt integrum fere S. Eliphii corpus ad se fuisse delatum,

**B**reviarium Coloniense, anno 1780 typis excusum, paucis exhibet quæ ad S. Eliphii Reliquias in Monasterio S. Martini Coloniensi servatas pertinent. Cum autem in præsentî § de iis disputatio instituenda sit, universa lectio IV, quæ una de S. Eliphio est, hic loci inserenda videtur, ut lector uno intuitu noverit quæ spectent ad sacra hæc pignora. Sonat autem in hæc verba: Eliphius Tullensis sub Juliano Apostata pro Christi fide interemptus martyrii palmam consecutus est. Sæculo decimo Bruno primus, Archiepiscopus Coloniensis, sacrum corpus Coloniæ transtulit: quod in Ecclesia Monasterii Sancti Martini religiose conditum fuit. Sæculo decimo quinto Hermannus ab Hassia, archiepiscopus, arcam, cui sacra Reliquiæ sub sigillo Archiepiscopi Warini sæculo decimo inclusæ fuerant, cum sigillum illæsum reperisset, magna cum reverentia et solemnitate aperuit; inventique sacri corporis ossa, et caput integrum dempta parte mandibuli. Arca autem ejusdem Hermannii Archiepiscopi sigillo clausa, sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam transferenda, iterum Archiepiscopali sigillo oclusa et munita fuit. Eidem Ecclesiæ Sancti Martini sæculo undecimo Sanctus Anno in honorem Eliphii Martyris geminas turres adjecit. Sacri corporis thesaurus ibidem usque in hodiernum diem magna fidelium devotione honoratur.

scriptores Tullenses vero partem tantum corporis Coloniæ deducant fuisse.

**C** 30 Ex hac itaque de S. Eliphio lectione patet, Coloniensibus esse sententiam, sacri corporis ossa et caput integrum dempta mandibuli parte, ad se olim delata fuisse et in templo S. Martini asservari; atque in ea opinione versantur omnes ecclesiastici Colonienses scriptores; Tullenses vero alium omnino ineunt sentiendi modum. P. Benedictus (a) tradit S. Geraldum, Tullensem præulem, motum miraculis ad S. Eliphii sepulcrum fieri solitis, B. Martyris Reliquias in tres distribuisse partes, quarum una cederet templo cathedrali Tullensi, altera S. Eliphii templo, tertia seu caput S. Brunoni Coloniensi. (b) Ruyrius præverat P. Benedicto in assignando Coloniensibus solo S. Eliphii capite; sed reliquum corpus totum inclusum esse scripserat in pulchra capsula, quæ in S. Eliphii templo et vico custodiretur. Calmetus quidem (c) id negotium pluribus obscurat tenebris, adeo ut difficile sit ejus assequi mentem. Scribit enim: Abbas Rupertus sat manifeste declarat suis temporibus creditum fuisse S. Eliphii Reliquias Coloniæ in abbatiâ S. Martini servari, ejusque festum illic actum fuisse, ut in abbatiâ Tuitiensi agebatur. (Non ait Rupertus, cui innititur Calmetus, festum S. Eliphii a suis monachis actum, sed usitatam ejus fuisse Passionem). Temporibus Adsonis, scilicet sæculo X, persuasum erat hominibus (nil tale in Adsonis scriptis reperire potui) corpus S. Eliphii, celatum dum barbari in has incursarent regiones, in oblivione sepultum mansisse. Vidricus in vita S. Geraldii affirmat hunc Sanctum, anno 963 ad infulas Tullenses evectum,

(a) Hist. de Toul, p. 212 et 318. — (b) Antiq. des Vosges p. 296 et seq. — (c) Hist. de Lorraine, t. I, col. 199. —

sacras exuvias e loco in quo jacebant levasse, et majora ossa S. Brunoni Coloniensi dedisse. Inferius vero addit: Anno 1485 Hermannus archiepiscopus Coloniensis Reliquiarum visitationem instituit, et corpus reperit integrum præter mandibulam inferiorem, quæ in diocesi Tullensi remansisse videtur. Breviarium demum Tullense anno 1748 prelo excusum ita rem exponit: Ex religiosa in Beatum Martyrem devotione sanctus Geraldus Tullensis episcopus sacras ipsius Reliquias transtulit, quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, Brunoni Coloniensi episcopo, magni Ottonis germano concessit; quæ digna cum veneratione Coloniæ advecta sunt, ubi celebris est Sancti Eliphii memoria.

**D** 31 Movetur itaque quæstio an recte Colonienses æstiment integrum fere S. Eliphii corpus in sua civitate asservari. Vetustissima æque ac recentiora excutienda sunt documenta; quorum omnium antiquissimum S. Brunonis testamentum (d), conditum anno 965 paulo post acceptum sacrum pignus. Legitur in eo S. Bruno dare Beato Eliphio Martyri; Sancto Martino confessori (patrono Coloniensis Monasterii) tantundem (libras triginta, pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo, fratribus libras sex); prædium præterea Solagon per precariam nostræ (sux) ecclesiæ acquisitum. Mitto testimonium (e) Rotgeri S. Brunonis biographi æqualis aut fere æqualis. Atque hinc certum fit anno 965 S. Eliphii reliquias Coloniæ jam fuisse servatas. Eodem vero ferme tempore scriptor Tullensis iisdem populares suos destitutos affirmat. Collector scilicet Miraculorum S. Apri quæ ad diem xv Septembris (f) Stilingus noster ex Martennio et Calmeto recudenda curavit, queritur hac de re his verbis: Neque enim illa nos corporis (S. Apri anno 918 facta) abductio illius tunc ævi hominibus, sed nobis aliisque post futuris profuit, atque ne tanto privaretur Patrono, immo omni regioni. Nam fere omnibus notum est, qualiter destituti sumus corpore Eliphii, martyris pretiosi, pignorisque Sanctorum alius; quod B. Aper providens (nam illi quem nihil latet, semper assistit) gregem suum ut jugiter tueatur, juvet ac regat, hac occasione præsentia sui corporis destituere noluit; quo anno 978 a S. Geraldo Tullensi episcopo reperit fuisse tradit auctor synchronus in historia episcoporum Tullensium cap. xxx apud Calmetum. Unde cum recte eruat Stilingus num. 7 citati Commentarii ad Vitam S. Apri, horum miraculorum scriptorem opusculum suum non ante annum 978, sed neque multo post hunc annum, condidisse, statuat lector, an ex his Adsonis verbis Lotharingæ historiographus, recte deduxerit Adsonis tempore S. Eliphii Reliquias ob metum barbarorum occultatas fuisse, an potius viginti circiter annis, postquam Coloniæ translata fuissent, communis etiam apud Tullenses persuasio exstaret, vix quidpiam sibi de S. Eliphii Reliquiis remansisse.

Rectam autem esse Coloniensium sententiam probant antiqui scriptores,

E

**F** 32 Sæculum X excedendum non est, ut reperiatur instrumentum in scrinio ligneo, quod sigillum episcopale muniebat, et quod in Coloniensium Monasterii archivo quatuor sæcula servatum fuerat. Surius primus illud luci tradidit, ad diem xvi Octobris Vitæ S. Eliphii illud subdens. Hujus quippe apographum exstat in litteris ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi ad S. Eliphii Reliquias probandas anno 1485 confectis. Recitabo illas litteras ex exemplari quod nobis transmisit Cl. Binterim, postquam tamen cum

instrumentum Reliquiarum visitationis

(d) Act. SS. xi Oct., p. 788 et seq. — (e) Ibid., p. 777. — (f) T. V Sept., p. 75, num. 28.



A *Suriano ecgrapho illud contulero* : LITTERÆ APERTIONIS TUMBÆ ET APPROBATIONIS CORPORIS S. ELIPHII MARTYRIS. Hermannus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Westphaliæ et Angariæ Dux, Legatusque natus, etc. ; Universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentis nostræ litteræ pervenerint, salutem in Domino. Gloriosus Deus in Sanctis suis, et in majestate mirabilis, atque in omnibus suis Sanctis et Electis laudabilis; in Sancti vero et magnifici Martyris Eliphii meritis gloriosis non immerito gloriosus prædicatur : vere mirabilis Deus Martyrem ipsum sibi charum mirabilem fecit, qui in ejusdem Electi sui ostendere dignatus est passione, quanti eum in regno suo prædestinaverit meriti et gloriæ. Omnes enim infirmi, qui diversis, erant languoribus gravati, ad locum ipsius venientes Martyrii, redditi sunt plenariæ sanitati, cujusque corpus se per virtutem Christi erexit, et ambabus suum amputatum caput amplectens manibus per unum milliari comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit, donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret ; ibique lapidem album inveniens atque planum, sedit super eum, cujus grandis duritia Martyris ipsius cessit, sanctitati, et proprium aperiens gremium in sinu suo amplexatus est Sanctum. Christi fideles namque suis meritis adjuti, infidelibus Christo donante victis, victoriam gloriose sunt adepti.

anno 1485  
factæ

B 33 Ad vestram igitur omnium supradictorum notitiam deducimus, et deduci volumus per præsentis, quod nos devotissimis ac humillimis precibus venerabilis et religiosi devote nobis dilecti Adæ abbatis insignis monasterii S. Martini Coloniensis Ordinis S. Benedicti super apertione Tumbæ Reliquiarum ipsius præclari Martyris, quibus bonæ memoriæ quondam D. Bruno archipræsul Coloniensis prædecessor noster dudum decoravit monasterium antefatum ; crebrius interpellati affectuose, ex eo quod ferebatur corpus seu ossa ipsius Sanctissimi Martyris non forte integre translata ad dictum monasterium, sed caput ejusdem in majori ecclesia Trajectensi constitutum. Nosque pia devotione ad ipsum

C eximium Christi Martyrem affecti, ac piis desiderii dicti Adæ abbatis et confratrum ejus anuentes, die Dominica, quæ fuit vigilia S. Jacobi Apostoli de mane hora primarum constituti in monasterio S. Martini prælibato, una cum dicto Adam S. Martini et conventu suo, venerabilibus quoque et religiosis nobis sincere dilectis Antonio S. Ludgeri Werdinensis nostræ Coloniensis diocesis atque Melchior de Schonaw Trevirensis diocesis dicti Ordinis abbatibus, necnon abbate monasterii in Steinfeldt dictæ nostræ diocesis Præmonstratensis Ordinis, honorabilibus quoque Joanne Glappe et Joanne N. capellanis nostris, canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Cassii Bonensis ibidem præsentibus, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam S. Eliphii aperiri fecimus. \* Qua aperta manibus nostris extraximus exinde scrinium ligneum longitudinem quasi dictæ tumbæ habens, cum ferramentis convenienter aptatis, et sigillo piæ recordationis D. Warini, quondam etiam prædecessoris nostri clausum ; quod nos sanum et integrum invenientes manibus nostris abscidimus, ac scrinium prædictum reve-

\* supple tumbam

reuter in Dei nomine aperuimus, inibique cum ingenti gaudio et cordium tripudio, sicut audivimus, sic vidimus ipsius præclarissimi Martyris reconditum corpus, venerandum caput, dempta parte mandibuli, cum cæteris venustissimis membris ; reperiebatur scedula superposita de littera satis antiqua in hæc verba : PRÆTIOSUS CHRISTI MARTYR ELIPHIVS.

34 O quam gloriosum, quamque dulce et delectabile erat videre elegantia hujus pretiosi sanctissimique Christi Martyris membra ! O quanta devotio religiosorum fratrum ipsius monasterii S. Martini divinæ gratiæ congratulantium de tanti Patroni cœlestis civis et domestici Dei læto aspectu æternæ beatitudinis gloriosus possessoris ! Solemniter igitur his peractis, scrinium ligneum prædictum in tumba, ut præfertur, reperit, Reliquiis hujusmodi integraliter, et scedula prædicta superpositis clausum, et nostro secreto manu nostra propria signatum tumbæ majori juxta positæ imponi fecimus : et iidem fratres dicti monasterii ad decantationem Missæ solemnem ad laudem divini nominis, et in honorem ipsius pretiosi Martyris procedentes in monasterio supradicto Regi gloriæ et gratiarum largitori, qui eorum monasterium tam pretioso decorare et dotare dignatus est thesauro, referentes quas potuerunt gratiarum actiones. Præsentis etiam fuerunt nobilis et fidelis Hindericus Comes de Nassaw ac Dominus in Bilstein, necnon venerabilis Hindericus de Tegelen in medicinis Doctor, et Baccalaureus sacræ Theologiæ, consiliarii nobis dilecti. In quorum fidem et testimonium præmissorum has nostras litteras desuper fieri, sigillique nostri fecimus appensione communiri. Datum die ubi supra. Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto.

35 Irrefragabile testimonium ex his profuit litteris : neque hæc alio commentario indigent, quam ut paucis indicemus quo tempore inserta fuerit scripio schedula, quæ præferebat verba : Præciosus Christi Martyr Eliphivus. *Eam ab ipso S. Brunone translationis tempore insertam fuisse opinor ; at certo, cum Warinus episcopus esset, scripio jam inclusa erat, ut ex præmisso instrumento liquido constat. Jam vero hæc de Warino leguntur in Chronico Sancti Martini Coloniensis edito a Cl. Pertz (a) : Warinus... postea factus Archiepiscopus... Romam ivit, inde reversus, monasterium nostrum melioravit et Scotis iterum immolavit anno 975; idem Warinus factus est hic monachus, et tumbam S. Eliphii gloriose ornavit ; obiit anno 985, xi kal. Octobris. Similia reperio in nonnullis Mss. schedis, quarum una extracta dicitur ex vetustissimo pergamento olim in Bibliotheca S. Martini Majoris asservato. Cum itaque Warinus anno 975, (ut ex hoc Chronico, cum his quæ in Gallia Christiana (b) exstant collato, eruere est), archiepiscopatum adeptus sit, et decem annis post supremum obierit diem, intra hoc spatium concludas oportet prædictæ schedulæ ætatem ; nisi, ut jam dixi, S. Brunoni potius adscribenda videatur. Quin etiam propositum decennium octo forte annis minuendum est : Warinum scilicet a templo exornando incepisse, non videtur temera sententia ; verumtamen anno 977 claustrum monasterii jam decoraverat, ut liquet ex sequenti chronogrammate olim ipsi claustrum affixo : hæc C sa Cra CLa Ustra no Vo De Cora Vlt honore GUar In Us. Testimoniis itaque ad sæculum X pertinentibus satis superque me probasse autumo, integrum S. Eliphii*

ab Archiepiscopo Coloniensi,

E

et potissimum schedula sæculi X,

F

(a) Monumenta Germanica, t. II, p. 215. — (b) T. III, col. 651.



A corpus præter mandibulam et exigua forsam quædam ossicula in S. Martini Majoris templo sæculo x asservatum fuisse. Sequentium quoque sæculorum testes produci possent. At ne probationes istiusmodi justo copiosiores sint, satis mihi fuerit lectorem remittere: ad Usuardi Auctaria, quæ in Sollerii nostri Usuardo reperire est; ad Breviaria Coloniensia, quorum jam meminimus; ad assertionem Ruperti; ad Chronicum Sigeberti Gemblacensis; item ad Chronicum Belgicum magnum; ad Fasciculum temporum Werneri Rolevinck, etc.

frustra obnitentibus Tullensibus.

36 Tullenses vero scriptores, quibus persuasum fuit majora tantum S. Eliphii ossa Colonia translata fuisse, hæc Vidrici obijciunt verba: Reliquias etiam venerandi Martyris Elifii religiosa devotione transtulit: quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, prænominate Brunoni archipræsuli contulit, quæ Colonia cum summa devotione devexit, ibique devota populorum coluntur veneratione. Hæc Vidricus S. Apri Tullensis abbas in Vita S. Geraldii Tullensis episcopi, quam Henschenius ad xxiii Aprilis (a) edidit. Si vero conferrantur quæ de hoc Vidrico Gallia Christiana in tomo XIII inter S. Apri abbates habet, cum his quæ in Historia litteraria Gallia (b) excusa sunt, hæc circa annum 1044 a Vidrico scripta fuisse statuendum est. Verum Vidrici dicta componenda sunt cum assertis collectoris Miraculorum S. Apri, Tullenses corpore S. Eliphii destitutos lugentis, cum authenticis Coloniensium monumentis, et cum petitione illa nobilissimæ Neocastrensis, quam in præcedenti § a Coloniensibus non a San-Eliphianis S. Martyris Reliquias efflagitantem vidimus. Unde statuendum est ita non minimam partem, majora scilicet ossa Colonia delata fuisse, ut in templo S. Eliphii remanserint brandea tantum, sepulcrum, capsula et aliquot minora ossicula. Et quidem historiographi Tullenses potius videntur rumorem popularem quam rei veritatem aut certa documenta secuti esse: certe toties laudatus Cl. V. Digot, qui omnia, quæ ad S. Eliphii memoriam pertinent, accurate investigavit, rescripsit ad nos Reliquias B. Martyris, quæ ab anno 1688 in stannea pyxide clauduntur et nihil a tumultibus gallicis passæ sunt, paucas esse numero: Il est bon peut-être, ejus sunt verba, de faire observer que ces reliques sont en petit nombre. Extra omnem itaque disceptationem ponenda sunt Eliphiana lipsana, quæ Coloniensibus monachis S. Martini a S. Geraldo Tullensi episcopo, ortu Coloniensi, concessa fuerunt, et Colonia a novem fere sæculis coluntur. E sequentibus quippe constabit anno 964 ea illic fuisse delata.

B  
C  
F

Facta fuit hæc translatio anno 964.

37 In hujus translationis annum inquirenti, plura mihi præsto sunt Chronica Mss., Colonia transmissa, quorum alia ad annum 959, alia ad annum 960, alia ad annum 962 hanc translationem referunt. At error in omnibus his annis est; neque is fuit correctus a Bailletto, qui annum circiter 960 assignans, editores Insulenses et Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri fidos imitatores habuit. Unus fere Trithemius in Chronicis Monasterii Hirsaugiensis veritatis semitam pressit, ad annum DCCCLXIII hæc de S. Brunone scribens: Item corpus beatissimi martyris Eliphii, in monasterium S. Martini Scotorum nostri ordinis in Colonia reposuit. Quod vero iste annus rectus est, sequentibus conficitur. Imprimis constat hanc translationem non differendam esse post diem xi Octobris anni 965, quoniam tum (ut pluribus ad hanc diem (c) comprobatur noster C. Byeus) S. Bruno naturæ cessit: immo non

D differendam post ii Februarii ejusdem anni, quoniam Reginonis continuator ad hunc annum tradit, Ottoni ex Italia redeunti S. Brunonem obvium ivisse, in Purificatione sanctissimæ Mariæ Virginis Wormatiæ usque; amosque simul quam solemnissime Pentecostes festa celebrasse docet Rotgerus S. Brunonis biographus; atque ex eodem et ex chronographis multis rescivimus S. Brunonem, postmodum in Franciam profectum, non amplius rediisse in Germaniam. Quocirca a B. Mariæ Purificatæ festo ad S. Brunonis mortis diem spatium non fit sacris reliquiis e Gallia transferendis. Qui vero intercapedines inter varias has anni epochas inserere velit, legat Rotgerum, qui abundantius de ultimis S. Brunonis temporibus disserens, hoc sane Lotharingicum iter non omisisset. Verum neque ante mensem Aprilem anni 963 statui potest hæc translatio, quam a S. Geraldo Tullensi episcopo factam fuisse tradit ejus biographus, ut sæpius in hoc Commentario monuimus. Etenim Gallia Christiana in tomo XIII et Henschenius noster ad xxiii Aprilis duobus in locis ex appendice ad Vitam S. Mansueti, qui iii Aprilis colitur, rite docent S. Geraldum xxvii Martii Treviros episcopum designandum convenisse, et mox in Tullensi sede fuisse sublimatum. At quæso, num illico S. Geraldus Sanctorum Reliquias transtulisse atque aliis donasse censendus est? Annus vero 964 omnium opportunissimus est: tunc enim S. Bruno in Lotharingia celebravit concilium, ut Byeus S. Brunonis Vita commentator (d) ex chronico Cameracensi (e) latius statuit. Cum itaque clarum Trithemii testimonium præmissis adstipuletur, illiganda certissime est sæpius dicta translatio dicto anno 964. Jam ad cultum, S. Eliphio Colonia præstitum transeamus.

#### § V. De cultu collato S. Eliphio in monasterio et templo S. Martini Coloniensium, itemque olim Ultrajecti.

Priusquam autem Coloniensium in S. Eliphio pietatem explicemus, pauca præfanda videntur de monasterio deque templo S. Martini, quo B. Martyris nostri exuvie illatæ fuerunt. De ejus exordiis sic scribit Gelenius in Admiranda Magnitudine Coloniensi (f): In quæ tempora ejus exordium sit revocandum ob vetustatem obscurum est. Superest in ambitu perantiquum sacellum, quod ab Eremita Dacico (a) Tilmone Scoto anno 690, perhibent alii) credunt inter circumfluentes undas exstructum; ad Beatos tamen viros Plechelmum et Otgerum SS. Bonifacii et Swiberti socios tutius referuntur initia, qui adjuvantibus Plectrude et Pipino insulam (Reno scilicet circumdatur) arboribus amœne consitam, in claustrum religiosorum converterunt. Hæc Bedæ auctoritate (g) fulcit auctor Ms. Monasteriologie hujus abbatix, quæ penes nos est. Ille idem varios ei casus deinde describit, solo tenus pene reclinatam eam a Saxonibus dicens, et anno 779 ab Otgero Danorum duce pristino restitutam statui; anno autem 803 a S. Leone Papa privilegiis, sacratis altaribus auctam, demum vetustate collabentem a Warino archiepiscopo restitutam. Reliqua fere in Gallia Christiana (h) reperire est. Cum autem ibidem exhibitus abbatum catalogus, qui a Warini temporibus primum incipit, ad annum 1723 tantum producat, utile fore

In monasterio S. Martini majoris Coloniensium

F

(a) T. III, Apr. p. 206. — (b) T. VII, p. 409. — (c) Act. SS, x Oct., p. 754. — (d) Act. SS, xi Oct., p. 750. — (e) Lib.

i, cap. LXXXV. — (f) p. 375. — (g) Hist. Angl., lib. v. — (h) T. III, col. 749 et seqq.

autumo,



A *autumo, catalogum illum ex Ms. Coloniensi perferre: Henricus Obladen, qui totam abbatiam funditus reaedificavit, anno 1726 obiit; ei successit Adrianus Valck, qui 1741 supremum diem clausit; secutus est Franciscus Spix, cujus, anno 1759 mortui, locum occupavit Sebastianus Schmitz, anno 1788 ipse moriturus. Hunc excepit Adam Rosell SS. Theol. Doctor, qui anno 1794 mortuus, locum cessit Melchiori Syberti, qui anno 1801 obiit. Eum secutus est Felix Ohoven; quo abbate, anno 1802 Galliarum imperatoris edictum abbatiam de facto suppressit. Fuit ille dein primus pastor aut parochus hujus templi. Hæc de abbatia.*

*servata S. Eliphii Reliquia multo honore*

39 Colonia quoque ad nos transmissum est Ms. carmen de Fastis S. Martini Majoris. Conditum hoc fuisse æstimo inter annum 1505 et 1513; quo tempore a quibusdam proceribus lethalem sortem expertum esse hoc monasterium testatur prælaudata Monasteriologia; ad hanc scilicet alludere videntur hi extremi fere versiculi:

Quasque Deo donavit opes veneranda vetustas,  
Turpiter, o Superi! nunc turba profana vorando  
Decoquit ablatas, ac insidiatur edendis.

B *Ex hoc carmine reliqua fere hauriemus; sic de pietate Brunonis et Warini in S. Eliphium:*

Tum siquidem Bruno destructo rudere pontis  
Erectoque novi parvo molimine templi,  
Quæ tulerat quondam Francis de finibus isthuc  
Martyris Eliphii sacra recondidit ossa;  
Quodque per instabiles vexatum temporis iras,  
Fors deforme situ, senio languebat et annis,  
Instauravit opus nitido splendore Warinus.

*Quod postquam pluribus explanavit versuum auctor, et de monasticæ vitæ statu ab eodem suscepto cecinit, pergit in hunc modum:*

Fertur et hinc Divos sacro dignatus honore,  
Eliphii tumbam, fuerat quæ sordida pridem,  
Magnifice ditans, positis hinc inde figuris,  
Archetypas vitæ (quas fors imitatus agendo)  
Virginei cœtus statuas expressit in una  
Parte, locuturas mentito corpore tales,  
Quos placuit loculo scriptos annectere versus:  
" Virginibus fatuis decor intus tollitur omnis,  
" Quas ad vana foris trahit inflans aura favoris,  
" Dum quærunt emere, ac oleo sua vasa replere,  
" Stant foris et mœrent, stupefactis vocibus hærent,

C *Parte alia circumposuit simulacra virorum,*

Quos nuper memini, generio primordia nostri,  
Ex Scotia natos; libuit queis addere versus:  
" Præcones isti juxta vestigia Christi  
" Omnibus exuti vere studuere salutem,  
" Adstruxere fidem contemptu mortis iidem,  
" Quorum dogma sonum dedit in fines regionum  
" Unde salutarijam cœpit ab imbre rigari cœtum.  
" Cordis ager, multum referens cum fœnere frum  
Hinc atque hinc alios (cœlestia Numina!) Divos  
Affixit, comites vitæ testesque laborum,  
Discipulos Christi, posuitque his carmina subtus:  
" Cives æterni Genitoris in arce superni  
" Florent ut palmæ mercede sua sibi salva,  
" Testes ante boni, modo sunt in plebe coloni,  
" At finis mundi cum venerit, hora secundi  
" Adventus Christi, velamine nubis amicti  
" Censores æqui venient cum iudice sæcli."

*\* forte salvæ.*

*Quod vero ad hos versus Leoninos, sacro loculo inscriptos, pertinet, cave ne poetam nostrum incuses quod id versuum genus ad antiquiora retulit tempora, ad verbum intelligens Horatium cadentem:*

.... Pictoribus atque poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.  
Nam inter criticos jam æstimo erroneam esse sen-

tentiam Pasqueri, in suis Disquisitionibus Franciscis horum versuum originem cuidam Leoni tribuentis, et Cangii in suo glossario ad vocem Leoninus eandem originem referentis ad tempora Ludovici VII aut Philippi Augusti (ab anno 1120 ad 1223). Diu enim antea jam hoc versuum genus in usu erat: nam Acta S. Pelagii Martyris, in Opere nostro excusa ad diem xxvi mensis Junii, invicte probant hujus speciei metrum jam sæculo x in usu fuisse; en exordium auctoris Sanctum alloquentis:

Inclyte Pellagi, martyr fortissime Christi,  
Et bone regnantis miles per secula Regis,  
Respice Hroswitham miti pietate misellam,  
Me tibi subjectam miti pietate famellam, etc.

*Sic tota lucubratio: mitto alia plura exempla perferre; notavero tantum in hoc ipso volumine num.*

17 Commentarii de Sanctis Martyribus Mauris Coloniense occurrere specimen, quod Cangii dicta evertit. Vide ibidem num. 8 Comment. de S. Cannato.

40 Tumbæ vero, in præsentia non amplius exstantis, ornamentorum num. 35 jam memini ex Chronico excuso; Chronicum Ms. emblemata memorat; aliud itidem Ms. novam tumbam laudat; Gelenius in Admiranda Magnitudine Colonix (a) memorat argenteum loculum; mitto reliquos Colonienses scriptores, cum res satis certa sit. Huic loco inserenda videtur hæc S. Eliphii memoria, quam ad diem xxi Junii inter Prætermisissos collocavit recte Henschenius: " B. Eliphii Martyris commemoratio Coloniæ, in Monasterio S. Martini " inscripta est Martyrologio Coloniensis (anni 1521) et Lubecensis editionis anno 1490; item apud Grevenum, Canisium et Gelenium, qui ait hanc corporis in argenteo loculo esse depositionem. Hæc dicta ad fontes reduxit; at in fastis Coloniensibus Gelenii, non apprime expressum reperio hanc memoriam e corporis depositione ortam esse; verum aliud, nescio quod, Gelenii testimonium Henschenio prævisse potuit: quod si ita sit duplex S. Eliphii Coloniense festum ad tempora Warini referendum erit. Uterius vero feramus pedem. Archiepiscopalem Coloniensem cathedram occupavit S. Anno ab anno 1056 ad annum circiter 1076. De eo sic ille poeta noster canit:

Deinde pari studio compunctus episcopus Anno  
Turribus elatis ornavit mœnia templi;  
quas duas turres a fronte sanctuarii consurgentes scribit Gelenius in opere laudato (b). Gelenio consonat Chronicon Ms.; et alterum Chronicon Ms. similiter his construendis annum circiter 1060 assignat. Ut ex Diario, cui nomen Die Kölnische Zeitung, Beiblatt, xv Decembris 1816, colligo, altera turris anno 1482, quando templum S. Brigidæ, curante Henrico a Lippia, auctum et parietibus ecclesie S. Martini ope concamerationis conexum est, eum S. Brigidæ ecclesia conjuncta fuit. Alteram ex his turriculis designari opinor in scheda Ms. in qua traditur unam turriculam xxix Januarii anno 1539 decidisse. Reædificata autem fuerit oportet, nisi me fallat imago civitatis Colonix. Hujus vero constructionis causa ex capite xviii, lib. iii vitæ S. Annonis ita explanatur in codice nostro Ms. olim Eisendorpiensi, quodque utpote accuratissime scriptum laude non caret.

41 Eliphium quoque magni meriti Martyr, qui post abscissionem capitis, cum eodem viâ longissimæ spacium percurrit, in visione beato Viro assistens, ejus erga se negligentiam redarguit, improperans quod eam, quam sicut religiosus in cæteros urbis suæ patronos mentis devotionem ostentabat, in eo multum infamaret; quod

D

*ab archiepi scopis, Warino et S. Annone*

E

F

*habite sunt;*

(a) p. 377. — (b) p. 375.



A sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes habuerit, ut ne minimis quidem indicibus suam umquam benevolentiam in ejus ecclesiae amplificationem prodiderit. Eo respondente, jactis quibuslibet novis fundamentis, inundationem Reni fluminis in subversionem totius Monasterii non dubitandum mox operari, perstitit ille quamlibet vel parvam suae devotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos a thoro post quietem se excutiens, cœnobium Sancti Martini, quo Martyr idem patrocinabatur, adiit, ad inspicendum loci situm, habitoque consilio, duas turres a fronte sanctuarii consurgentes in aërem subrigi præcepit, laudem meritumque viduae duo minuta ferentis sine dubio possidens. *Quid in nostro Opere de hac visione censendum aliquando sit, examinare poterit qui S. Annonis Vitam ad iv Decembris illustrabit. Hic satis nobis fuerit S. Annonis pietatem erga S. Eliphium annotasse. Tradit vero Gelenius (a) S. Annonem non nihil versatum fuisse in concinnandis Litanis Sanctorum; an vero ad eundem auctorem referendæ sint Litanie peretustæ, quæ olim in ecclesia S. Mariæ in Capitolio Agrippinensi in ternis vigiliis cantari solebant, ut Bollandus nostro eographo inscripsit, me omnino latet; id unum testari possum, eas ob recentiorum SS. absentiam peretustas esse; quodque ad rem meam facit, in eis S. Eliphii nomen signari. Meminit insuper Sancti nostri Gelenius in Opusculo (b), quod Coloniam inscripsit supplicem, et quo prosecutus est octiduam supplicationem Coloniensium: in ea autem quinto loco et post duos vexilliferos et quinque angelos, proferebatur tumba S. Eliphii seu Elaphii M. Mitto quæ eodem Beato Winheimius scribit in Sacratio Agrippinensi (c) et in Peregrinatione Romana (d).*

et cum ante annum 1781 sub majori Altari servarentur,

B 42 Duplicem S. Eliphii Reliquiarum translationem jam meminimus; tertia ex authenticis instrumentis indicanda superest: Anno Domini 1789 in Aprili sub reverendissimo, perillustri et eximio Domino, D. Adam Rosell abbate hujus monasterii S. Martini Majoris dignissimo, cœpta est renovatio, mutatio et magnifica exornatio ecclesiae nostræ, qua occasione destructa sunt omnia altaria, undecim numero; de quibus tantum quinque reedificata, et anno 1791 x mensis Julii a reverendissimo ac excellentissimo Domino D. Carolo Aloysio S. R. I. comite de Königsegg, episcopo Myrinensi et suffraganeo Coloniensi ob indispositionem reverendissimi D. abbatis consecrata sunt, prout infra scriptæ scedulae Reliquiarum capsulis et altarium sepulcris impositæ testantur:

hoc anno alii altari inclusæ sunt.

C 43 DE SUMMO ALTARI. Anno Domini 1791 die x mensis Julii, Dominica III post festum SS. Trinitatis, reverendissimus et excellentissimus Dominus Carolus Aloysius Königsegg S. R. I. Comes, etc., etc., consecravit altare hoc in honorem Sanctorum Martini, Ursulæ et Sociarum ejus, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias (sequuntur nomina XXI SS.) in eo inclusit, singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus XL dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessit. — In fidem — Anton: Midderhoff suffraganeatus Coloniensis secretarius. — N. B. Hoc summum altare ante hæc erat consecratum a reverendissimo D. Francisco Spix, hujus monasterii abbate, in honorem S. Martini, S. Eliphii, Ursulæ et Sociarum ejus. — In hoc igitur nil immutatum, nisi quod memoria S. Eliphii apposita sit altari S.

D Catharinæ. Item nota quoad situationem. — ALTARE PRIMUM AD CORNU EUANGELII VERSUS SACRISTIAM, VULGO ALTARE S. CATHARINÆ. Anno Domini (ut supra) consecravit altare hoc in honorem S. Crucis, Sanctorum Eliphii, Catharinæ, Brigidæ, Wolffgangi et Materni, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias Sanctorum Wolffgangi, Cuniberti et aliorum Sanctorum in eo inclusit, singulisque, etc., ut supra. N. B. Altare hoc ante destructionem hujusmodi erat consecratum a reverendissimo in Christo Patre Adamo, episcopo Hierapolitano, suff. Hildes. in honorem S. Crucis et S. Catharinæ V. M. anno 1661, iv Maji; in hodierna autem consecratione in honorem S. Eliphii, Wolffgangi et Materni superadditum. Cætera ad S. Eliphium non spectant. Quasdam etiam Sancti nostri Reliquias fuisse in SS. Bonifacii et Willibrordi collegio syntagmate CIX nos docet Gelenius dum in Sacro Thesaurio (e) hæc habet: Eliphii Martyris de capite ejus.

44 Aliquando saltem pietatem erga S. Eliphium magnopere floruisse Colonia, ex Martyrologiis Germaniæ vario tempore conscriptis, et ex his quæ præcedentibus numeris contulimus, non nihil liquet. Hujus pietatis aliud specimen esto sequens distichon refusa: alteri Campanæ (anno enim 1378 turris conflagraverat) inscriptum:

Sum campana pii, qui nos defendet, Eliphii  
Anno millesimo C ter L et simul X ter.

Hodierna vero pietas potiore laude non videtur commendanda. Attamen altare S. Catharinæ, cujus superiori numero mentionem feci, altare S. Eliphii nunc potius audit: quo saltem condecoratur nomine in recentiore scripto. Agitur vero nostri Sancti festum ritu semiduplici. Præter lectionem num. 29 recitatam nihil proprium habet ejus Officium hodiernum atque Missa. Olim alias fuisse lectiones, jam ex anonymo S. Eliphii biographo, jam ex Ruperto desumptas, alibi monitum fuit. Anno 1481 hæc præterea Oratio propria erat: Misericordiam tuam nobis, quæsumus, Domine, interveniente \* B. Eliphio Martyre tuo clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per, etc.

45 Ex numero 33 hujus Commentarii, ubi chartam Coloniensem recitabamus intellexit lector ad annum 1485 Ultrajectenses sibi persuasum habuisse apud se servari S. Eliphii caput. Unde non mirum in Usuardo Ultrajectensi et Leydensi, ut apud Solerium nostrum videre, S. Eliphii memoriam cum elogio fieri. Neque desiit apud Ultrajectenses hæc persuasio post annum 1485. Quatuor enim in Museo nostro habemus vetusta Missalia Ultrajectensia; quorum illud, quod excusum est Antverpiæ anno 1540, in Calendario ad xvii Octobris nuntiat Florentinum episcopum, Elisium Martyrem et Martham Virginem sororem Magdalenæ; et ad eundem diem propriam Missam exhibet cum inscriptione: Elisii Martyris cujus caput est in ecclesia Trajetensi. Missa autem hæc est: INTROITUS: Lætabitur. Ps. Exaudi, Deus, COLLECTA: Misericordiam tuam, ut Colonia. EPISTOLA: Justum deduxit. GRADUALE: Domine, prævenisti. v. Vitam petiit. x. Lætabitur. EVANGELIUM: Si quis vult. OFFERTORIUM: Gloria et honore. SECRETA: Suscipe, Domine, munera quæsumus dignanter oblata: et Beati Martyris tui Elisii suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium pervenire concedas. COMMUNIO: Qui vult venire. COMPLENDA: Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœlestis mysterium: ut cujus exequimur actione, sentiamus effectum. Per. *E tribus reliquis Missalibus, quorum unum Ms. ad sæculum XIV aut XV pertinet,*

Coloniensis S. Eliphii cultus adhuc perstat;

E

\* intercedente Ultrajectenses lege bant.

Trajectensis vero ex errore forte ortus suppressus est.

F

(a) Admir. Magnit. Coloniae, p. 312. — (b) p. 43. — (c) p. 153. — (d) p. 88. — (e) p. 616.



A *secundum sæculo xvi impressum fuit, tertium hoc etiam vetustius est, id ultimum tantum in præmisso Calendario memoriam S. Eliphii addit festivitati sancti Galli. Breviarium vero Ultrajectense, anno 1518 excusum, lectiones habet de S. Eliphio multo longiores quam quæ sunt in vetustis Breviariis Coloniensibus; eaque desumptæ fuerunt ex anonymo scriptore vetustæ Passionis S. Eliphii. Breviaria autem Ultrajectensia, quæ anno 1623 recentiora sunt, S. Eliphii festum expunctum habent. Quod minus mirum est, cum Surius anno 1618 publici juris fecerit diploma Hermanni archiepiscopi Coloniensis, quod traditionem Ultrajectensem subvertebat; nisi forte adre capitis particulam tantum haberent, id caput nuncupabant, ut olim sæpe fieri solebat. Continuo antiquiorem S. Eliphii dabo Vitam; quæ etsi fabulosa est, hoc potissimum nomine meretur excudi, quod toties a doctis hagiologis desiderata fuit.*

46 *Descripsi eam ex codice Ms. cui annotavit recentior manus hæc verba: Liber Monasterii S.*

*Edetur vita descripta a Zonsbeckio et cum aliis multis collata.*

B *Martini Majoris intra Coloniæ scriptus per R. P. Henricum Zonsbeck Coloniensem sub annum 1480. De eo Hubertus Stralensis in Necrologio sui temporis. Ipse vero Henricus ad finem Vitæ S. Eliphii edendæ, et alterius Rupertianæ, per me Henricum captivum sese designavit. Bibliotheca Coloniensis P. Harzheim de eo testatur: Henricus Zonsbeckius Coloniensis, in Sancti Martini Majoris Ord. S. Benedicti abbatia sub venerabili Adamo Mayer professus, excellentissimi ingenii vir, musicus et choralis egregius ac scriba perelegans. Moritur hydropicus 1533 ætatis suæ 76 in festo B. Mariæ Magdalene, cujus præsentis solatio fertur sæpius in ærumnis fuisse recreatus. Scripsit in membranis innumera fere volumina, nempe: Gradualia, Psalteria, Missalia, Breviaria, Diurnalia, aliaque cum latina, cum vernacula, Vitas Sanctorum, Homilias Patrum, Tractatusque asceticos complectentia, quorum aliqua in Sancti Martini Bibliotheca, alia in Brauweilirensi, nonnulla in Lacensi, quædam in Sancti Jacobi Moguntiae, ac in aliis locis superant. De eodem plura Hubertus Holthuyzen in Ms. Virorum illustrium Sancti Martini catalogo. Ex comment. Oliv. Legipont Benedictini Martiniani. Satis liquido ex his constat captivitatem, qua se Henricum constrictum esse scribit, vel pio vel saltem non malo sensu interpretandam esse. Recte laudatur ejus scriptiois elegantia aut potius nitore. Vitæ S. Eliphii de qua ago præmittuntur plura de S. Martino: ut Vita auctore Severo, Sermo S. Martini de Trinitate, etc. Postponitur vero Vita S. Eliphii auctore Ruperto. Absque dubio asservabatur olim hic codex in Museo Hagiographico Antverpiensi; nunc autem constituit numeros 2376-2381 Bibliothecæ Burgundicæ Bruxellensis. Contuli hanc Vitam cum egraphis Gladbacensi, Trevirensi et Ratisponensi, de quibus dixi in primo §. item cum duobus legendariis sæculo xv impressis, et demum cum pluribus antiquis breviariis, de quibus in hoc Commentario similiter egi.*

C

## PASSIO S. ELIPHII MARTYRIS.

*Ex codice Ms. Coloniensi, nunc Bruxellensi, collata cum Mss. Gladbacensi, et Trevirensi, necnon plurimis impressis.*

*Juliano apostata*

J *ulianus apostata apicibus sacri eloqui a puero divinis instructus, ad subdiaconatus a insu-*

per accedens honorem, cultor Domini nostri Jesu Christi exstitit infidelissimus. Nam omnium proculdubio miserrimus mortalium, Christum cultorum videlicet fidelium Salvatorem dereliquit, et diabolum suis exigentibus meritis humani generis deceptorem incurrit. Impiissimus namque Cæsar effectus crudeliter dedit crudeliter legem b ut omnes ubicumque \* Christiani cunctis cederent facultatibus suis. Crudelissimus igitur tyrannus quanta Christicolarum pene per orbem strages dedit nec lingua exserere humana \* nec ullius calamus scriptoris scribere \* valet. Post non parvum \* temporis tyrannus terrerimus Italianam relinquens fecit se adire Gallias; ea proculdubio intentione ut idola erigeret, templa dæmonibus ædificaret, vastaret ecclesias, ad dæmoniorum culturam vel \* præmiis invitaret Christianos, vel \* si altiori consilio illum cum suis donis contemnerent, exquisitis studiose pœnis interficeret.

2 Ad maximam ergo longitudine et latitudine accessit urbem turribus et muris tunc temporis munitissimam, nomine videlicet Grandem c. Ad cujus adventum per superbiam Pagani eriguntur, per odium et inimicitiam Judæi armantur d; utrique \* ad persequendos Christianos astipulati \* incredibili conspiratione fiunt uniti. Cum igitur crudelissima proculdubio tempestas persecutionis in Galliis ubique Christi Ecclesiam vastaret, vir secundum sæculi dignitatem gloriosus e et quod \* majoris est laudis fidelissimus Christianus, f Eliphii nomine, fulsit in urbe \* Tullensi plane magna constantia. Ferunt qui ejus progeniem non ignorant, quod vir Deo plenus quatuor habuit germanos in omni sanctitatis \* perfectione per cuncta sibi simillimos g, sanctissimum videlicet episcopum nomine Eucharium, qui cum palma Martyrii susceptus est in paradisum. Corpus ejus sacratissimum in castrum \* ad Liberum h est conditum; castissimas etiam tres virgines per omnia Christi devotas, quarum nomina lectioni placet nobis inseri. Menna dicitur prima sacra Virgo et monacha ad Porces est condita i; secunda nominabatur Libaria, monacha et Martyr in civitate Grandi fuit sepulta k; tertia monacha similiter et Martyr cognomine Susanna l in Campania est sepulta \*. His ita breviter dictis de Sancti semper Martyris memorandi consanguineis, nostri convertamus cursum sermonis ad gloriosissimæ ejus articulum passionis.

3 Perfidii itaque Judæi atque semper crudelissimi, qui Christum usque ad mortem sunt persecuti, illo sine dubio volente atque ad hoc ipsum veniente fortissimum Christi militem Sanctum dico tenuerunt Eliphium et in carcerem posuerunt. Erant plane triginta \* tres viri Christiani propter nomen et fidem Salvatoris carcere eodem inclusi. Factum est autem, providentia ut credimus agente divina, triginta tres \*, de quibus jam diximus, carcere exierunt nocte una; qui postea in fide fortiter \* permanentes Christiana, per martyrium meruerunt possidere siderea regna. Sanctus vero Eliphii de carcere egressus Leocham m intravit urbem et sepelivit sui genitricem naturæ cedentem. Interea athleta Christi non solum a militibus aut Judæis sed ex \* ipsis studiose regibus quærebatur, ut vel \* idolis magis aut dæmonibus immolaret vel \* gladio interficeretur. Mirum dictum! fortissimus Christi agonista timore nudus, fide firmiter armatus ad exemplum illius qui appropinquante sua passione seipsum quærentibus obtulit, sponte regressus est et civitatem videlicet Grandem intravit, ubi tunc temporis Julianus fuit. Duobus ibidem mo-

D

*b*  
\* Ratisp. et Gladb. ubique  
\* In cod. Col. omissa est hæc phras. \* alibi exarare \* lege paululum

*c*  
\* loco vel Gladb. et Ratisp. ut in agrum Tullensem ingresso,

c

d

*e*  
\* Gladb. et Ratisp. viri \* alibi metius copulati

e

*f*  
\* quod omittit Ratisp. \* Ratisp. et Gladb. in urbe fulsit \* Ratisp. societatis

f

*g*  
\* Gladb. ab Ratisp. et Gladb. in urbe fulsit

g

*h*  
\* Ratisp. castrum

h

*i*  
\* Ratisp. tumulata.

i

*k*  
\* Ratisp. tumulata.

k

*l*  
\* Ratisp. tumulata.

l

*m*  
\* Ratisp. tumulata.

m

*n*  
\* Gladb. ab Ratisp. et Ratisp. utrum \* Ratisp. utrum

n

ratus



A ratus diebus multa non paucis beneficia praestitit infirmis. Quotcumque enim illic incommoditibus corporum tenebantur variis, gratia Dei beato viro cooperante, integerrimam mora remota receperunt omnes sanitatem.

et daemone  
expulisset

4 Adhuc vir sanctus studuit dona illis potiora adhibere. Opus enim statim euangelistae arripuit, et verbum praedicationis infirmitatibus liberatis et paganis praesentibus aliis praedicavit. Hi autem qui verbum Dei cum gaudio suscipientes crediderunt, mulieribus parvulisque exceptis, ducenti viginti sex numero fuerunt. Omnes denique quorum pectora fides ad iustitiam, confessio autem ad salutem mundavit, sacri baptismatis unda ad sanctificationem feliciter abluit. Vir saepe dictus et semper dicendus de civitate existens illa et fluvium transiens utique Veram, offendit in Judaeos n daemone thecas colentes. Erat autem Sabbatum, dies festus Judeorum. Ecce quid nefarii in suis Sabbatis agunt Judaei: Christum Dei sapientiam et virtutem contemnunt et ad suam daemone perditionem colunt. Daemone itaque qui ab initio mendax, et pater ipsius exstitit mendacii per simulacra loquens Judaeis, suae responsa effundebat fallacia. Exigentibus enim suae perfidiae meritis oracula Prophetarum et praeconia Apostolorum recusarunt; suas vero libenter aures daemoneis accommodaverunt. Beatus sane Eliphium daemone increpans ait: O infelix et homicida a principio generis humani! hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum seduxisti, et tua veneno perfidiae crudeliter mortificasti. Iterum multipliciter Beatus diabolo comminans, sic ait: Impurissime daemone, ad tuum vade principem: quoniam in hoc ulterius simulacro mansionem non habebis et amplius non introibis. Procax daemone respondens ait: Usquequo a principis mei servitio remotus fuero qui huc me misit, quia in mea diutius non permittis mansionem? Sanctus Dei gratia plenus ait: Ad socios, sathana, tuos qui sunt in inferno vade; et in ipsa hora cum suis idolis absorbit eum terra.

\* Ratisp. du-  
centium

\* Ratisp.  
exiens  
\* Ratisp.  
addit in lit-  
tore

\* supple ait  
ex Sarto.

B 5 Tunc Dei electus, verbum salutis paganis praedicaturus, in loco stans eminentiore ait: Homines miseri et mortales, multis imo omnibus involuti estis malis et ligati, quos per innumeros diabolus instigat errores, qui vivum et verum Deum visibilibus et invisibilibus factorem ignorant nec fidei sacramenta ejus suscipitis neque eum adoratis. Relinquit ergo miserendi apostatam diabolum. Venite et credite Creatorem, et peccatorum accipiatis vestrorum indulgentiam et sempiternam animabus vestris inveniatis requiem. His itaque mirabilem Spiritu Sancto illustrante Eliphii dictis per Dei gratiam compuncti sunt auditores, qui Salvatorem mundi cum omni devotione verum Deum confessi crediderunt sexcenti et viginti viri. Sed mulieres Christo devotae non fuerant numeratae. In Christi ergo nomine cum grandi laetitia sunt baptizati et corpori Sanctae Ecclesiae cum magno gaudio sunt aduniti. O virum vere per omnia laudabilem! in signis et miraculis per cuncta apostolicum, qui perfectam humanis praestitit sanitatem corporibus et veram nihilominus concessit salutem animabus!

\* Ratisp.  
quia

\* Gladb. ero  
\* Ratisp. ad-  
dit esse  
\* Ratisp.  
gratia Dei

multosque  
convertisset  
gentiles,

\* deest in  
Ratisp.  
\* Ratisp.  
unum

\* Ratisp.  
ejus sacra-  
menta

\* tibi mira-  
biliter, quod  
melius.  
\* Ratisp.  
Eliphium  
\* Ratisp.  
Dominum

\* Ratisp.  
adjuncti

atque haec  
imperatorii  
nuntiasset  
gentilis,

6 Post haec serpens antiquus diabolus sua sibi dolens vasa diripi, paganorum unum intrat, qui cuncta quae per Dei gratiam Beatus Eliphium est operatus diligenter Juliano intimavit. Hoc sane sui sermonis initium arripuit: Ignorasne, Juliane, quod unus Christianus, nomine Eliphium, tuos deos destruxit, atque ad tuam procul dubio

confusionem ad cinerem usque redegit. Considera, obsecro, quia tibi et semini tuo non propera sed adversa propheta, et sine ullo tui timore contra te et tuam audacter potentiam rebellat, atque in tuo quodammodo super te regno hodie sese exaltat. Tunc rex nimio furore turbatus, ait: Si deos cum omni festinatione immortales non adoraverit, gladius nunc meus caput ejus amputabit. Profanus autem surgens velociter Julianus ad fluvii ripam concito gradu festinavit; ibi gloriosum quem quaesivit Eliphium invenit. Constantissimus vero Martyr adventum non veritus imperatoris, voce clara cunctis ministravit verba salutis. Nec plane Salvatoris fortis athleta iudicis timuit tormenta, sed per multas tribulationes et labores cum corona martyrii ad caelestia regna pervenire voluit. Tunc rex proloquens ait: Eliphium, per tuos quare sermones crudeliter deos dissipasti, et incantationibus eos nefariis ad nihilum deduxisti? Sed et hoc super omnia habes factum quod populum mihi abstulisti devotum, atque a cultura segregasti deorum.

D

7 Vir sanctus et caritate praecipuus ait: Juliane, meum consilium suscipe salubre; renuncia diabolo et simulacris daemoneiorum; crede vero in Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum de Deo vero ex Maria Virgine secundum carnem natum, et tuarum invenies indulgentiam culpam atque vitam in regno habebis sempiternam. Rex truculentus ira commotus magna dixit: Per deos deasque juro tibi, Eliphium, nisi meo obtemperes praeccepto et renoves deos meos et colas quos confregisti minutim, gladius meus tuum caput dividet particulatim. Sanctus Martyr respondens ait: Rex Juliane, noli errare, neque tu, Deo adjuvante, poteris, neque tuus pater diabolus, qui dominatur tibi, me a fide et caritate separare Christi. Christus enim innocens et sine ulla peccati macula purus, pro nobis peccatoribus misericorditer est passus. Justissimum sane videtur ut propter fidem et confessionem ejus nominis gloriosi moriamur, ut cum ipso in vita aeterna feliciter laetemur. Tyrannus, frendens quasi leo rugiens, Martyri ter beato dixit: Flexis in terram genibus tuam extende cervicem, et mei mucronis sicut tibi praedixi suscipe plagam. Cui fortissimus Christi Martyr ait: Precor te, rex, per terribile Dei mei nomen, ut des mihi saltem unius horae spatium quo devotas possum fundere orationes ad Dominum meum. At rex licet crudelissimus erat paganus et infestissimus Christiani nomini inimicus, ait ad Dei Sanctum: Tuam, sicut vis, effunde et extende orationem.

\* Ratisp.  
dixit

\* Cui praemi-  
tit Gladb.  
capit est S.  
Eliphium,  
qui cum mi-  
nis restitit-  
set.

E

\* Ratisp. ad-  
dit caelorum

\* Ratisp. aa-  
dit et

F

\* Ratisp. pos-  
s. m

\* Gladb. esset  
\* Ratisp. et  
Glab. omit-  
tunt Dei

et oratione  
se ad mortem  
parasset.

\* Ratisp.  
terramque

8 Preciosus Martyr postquam accepit orandi licentiam prostravit se in terram et elevans vocem, sic inchoavit precem: Domine Deus omnipotens, qui caelum, et terram et omnia quae in eis sunt creasti, et hominem quem ad imaginem et similitudinem tuam factum in paradiso posuisti, eundemque post lapsum diabolo suadente per Unigeniti tui Incarnationem et Passionem reformasti, et sanctos et electos tuos non ad hujus mundi gaudia, sed ad labores et tribulationes misisti, supplicem servi tui exaudi orationem, quia te timeo solum et tota cordis alacritate diligo: nunc pro tuo nomine non solum omnia carnis tormenta, sed et ipsam subire desidero mortem; animam meam jube suscipi per manus Apostolorum in paradiso tuo caelesti cum corona martyrii ponendam. Istitis nunc hominibus, a quibus sum interficiendus, cunctorum da criminum indulgentiam, et cum omnibus sanctis tuis in regno tuo portionem; qui vivis et regnas

\* Ratisp. ju-  
le meam  
\* Ratisp.  
Angelorum  
\* Ratisp. au-  
tem  
\* Ratisp.  
omittit tuis

Deus



## A

\* Ratisp. omittit Deus  
\* Ratisp. Spiritu Sancto et sepulchri locum sibi elegisset.  
\* Ratisp. quia

Deus \* cum Unigenito Filio tuo et Sancto Spiritu \* unus et verus Deus in sæcula sæculorum.

9 Cumque fideles qui affuerunt respondissent : Amen, fortissimus Christi Martyr erexit se ab oratione et in multitudinis stetit medio et ait : Rex Juliane, quum \* non dubito me interfici a te, rogo saltem meum cadaver sepulcro permittas tradi et locum mihi concedas sepulcri. Rex vero viro Dei respondit : Quemcumque elegeris locum, in illo tuum fiat sepulcrum. Neminem autem moveat quod clarissimus Martyr de suo corpore sepeliendo curam habuit. Legimus enim Jacob Patriarcham rogasse Joseph filium suum ut in spelunca duplici sepeliret eum, et exegit \* ab eo iurandum ut in illo loco poneret corpus suum. Joseph quoque cum esset ætatis centum et decem annorum et veniret ad mortem, filios Israel rogavit ut, cum de terra Egypti exirent, ossa sua in terram repermissionis secum transportarent, et cum aliis Patriarchis, id est cum fratribus suis, illic eum sepelirent. Multipliciter certe vel in beatorum Martyrum, aut in sanctorum Confessorum legitur libris, quod \* magnam de suis curam p habuerunt sepulcri.

\* insuper addit Gladb.

Interea athleta Christi fortissimus oculos attollens et circumquaque aspiciens, vidit de longe montem meritis ejus excelsum \*, qui vocatur hodie mons Sancti Eliphii q. Deinde Martyr preciosus lætitia spiritali plenus dixit Juliano : En \*, Cæsar, cernis locum \* in quo Christo demonstrante habeo sepulcrum. Post hæc se convertens ad multitudinem fidelium ait : Admoneo vos, qui in Christum creditis et ipsum adoratis, ut meam sæpe \* memoriam habeatis, maxime tamen in die meæ passionis, et ego Christum pulsabo precibus pro vestris culpis atque fragilitatibus. Ad regem regressus, Dei Eliphii \* amicus flevit præ gaudio dumtaxat grandi, non mortis timore. Namque frequenter solitus erat seipsum persecutoribus sponte offerre : quomodo potuit tormenta vel mortem timere? Sed quia per multas currit \* pœnas et impiorum contempsit hominum minas et palmiferum finivit cursum, totis visceribus Christum videre desideravit \*, graviter sustinuit quia eum velocius non vidit. Dicat ergo vir sanctissimus cum Apostolo Paulo, dicat : Cupio dissolvi et esse cum Christo; multum enim melius \*. Cum eodem plane iterum dicat : Bonum certamen certavi, opus bonum \* consummavi, fidem servavi, ideo \* reposita est mihi corona justitiæ.

\* Ratisp. quia

## p

## B

\* Gladb. addita Deo præordinatum

\* Ratisp. Ecce montem cernis ipsum  
\* Ratisp. semper

\* Ratisp. Eliphii Dei

\* alibi percurrit

\* Ratisp. addit et

\* multum enim melius atibi deest.

## C

\* Ratisp. cursum  
\* Gladb. de reliquo; Ratisp. omittit ideo et denuo blanditiis tentatus fuisse,

\* Ratisp. Tantum

10 Versipellis et profanus malesuasor Julianus, quem separare non valuit minis et multis frangere non potuit pœnis, eum suasoriis festinat corrumpere verbis, et vanis decipere tentat blandimentis. Crudelis itaque et immitis bellua in talia leviter prorupit verba : Vir in clyte Eliphii, noster esto amicus. Accipe dignitates et honores, aurum et argentum, et bona omnia quæ hominibus sunt pretiosa posside. Tum \* colendo deos fac tibi propitios et semper in nostro nominatus eris regno. Ad hæc Christi Martyr respondit : Cæsar, a diabolo es seductus, et Christianos seducere non cessas. Veram enim Christianorum deseruisti fidem, et sacrum sancti baptismatis coinquinasti fontem, et Dominum Jesum Christum fidelium Salvatorem negasti, et diabolus generis humani seductorem ad tuam perniciem colis et coluisti. Ambagibus sine causa uteris variis : quia tuis promissis, Christo me adjuvante, non seducar donis. Ideo fiducialiter tibi dico quod Beatus Petrus locutus est Simoni Mago : Pecunia tua et munera tua sint tecum in perditionem. Ideo enim terrena promittis ut celestia

tollas; et vitam transitoriam proponis ut æternam subtrahas; et ad extremum sine dubio idcirco suades caduca gaudia, ut amoveas ea quæ sunt æterna. Quæ igitur facturus es quantocius facito, quia numquam tibi obtempero, nec idola tua, nec parentem tuum diabolum adoro. Ego enim in verum credo et adoro Deum, in essentia suæ substantiæ \* unum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium et finem non habentem, cuius regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo Unigenitum Dei Patris omnipotentis \* Filium, sibi consubstantialem, coæternum et coequallem, Spiritu Sancto operante in Maria conceptum, verum hominem sine virginitatis suæ corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum, a mortuis tertia die resurgentem, in cælos sanctos ascendentem, in die iudicii vivos et mortuos iudicaturum et unicuique secundum opera sua redditurum. Hæc cum audisset odibilis \* Julianus Apostata repente ira repletus est magna, et spiculatoribus vocatis, imperavit eis, ut Martyrem sine dilatione magnificum decollarent Eliphium.

11 Sed miserimus hostis generis humani ad victimam deridendo dixit acceptabilem omnipotentis Dei : Modo videbo, si Deus tuus quem colis veniens te liberaverit et surgere te atque tuis pedibus ambulare fecerit r. Apparitores plane sicut illis jussum erat, fecerunt, et honorabile Sancti \* Eliphii caput amputaverunt. Dominus autem Jesus Christus in Martyris sui voluit ostendere passionem, quanti eum meriti atque gloria prædestinaverit esse in suo regno. Omnes enim infirmi qui diversis languoribus erant occupati, ad passionem martyris currentes gloriosi, meritis ipsius redditi sunt sanitati. Martyrizatus est nempe amicus Dei Eliphii in prato amœno s, quod situm est in ripa fluvii cui nomen \* Vera. Verum mirabilis Deus Martyrem sibi carum glorificavit et eum omnibus ubique mirabilem fecit. Martyris ergo corpus gloriosi erexit se per virtutem Christi, et amabam suum caput amplectens manibus, per unum milliarem comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit, donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret. Deinde subiit in montem sibi electum quondam, et lapidem ibi album inveniens atque planum, ut indigenæ terræ illius asserunt, sedit super eum \*. Res satis inusitata facta jam erat in petra; lapidis grandis duritia martyris cessit sanctitati, et proprium aperiens gremium in suo amplexu est sinu Sanctum, et concavum ac aptum locum sedendi in sua nimirum dedit concavitate. Si quis! quod absit, incredulus fuerit verbis dictantis, lapidis fidem accommodet signis non loquentis. Beatissimus Martyr Eliphii locum juxta illum est sepultus, in quo sibi sedit vir Dei desiderio plenus t. Super sacratissimum ejus sepulchrum ædificatum est a fidelibus oratorium ubi fideliter petentibus præstantur beneficia virtutum.

12 Mons plane in quo sepultus est Sanctus Eliphii inter Frumentosam u et Grandim est medius, ab utraque millibus distans senis, ab aquilone Tullensem urbem tenens, ab austro vero Grandim habens. Libet ad mentem revocare in operis fine, quomodo Deus festinanter voluit servi sui injuriam vindicare. Ipse enim suis fidelibus promisit, atque fideliter ipse adimplevit : Mea vindicta et ego retribuam. Consummata itaque clarissimi Martyris passione, sol tendit suo ad occasum more, nocte paulatim diei succedente. Interea inter Christianos paganosque oritur pugna, et hominum cædes valde perficitur cruenta.

\* Ratisp. omisso essentia, habet in sua substantia

\* omnipotentis omittit Ratisp.

\* Ratisp. addit Deo

E gladio tandem cesus est, et caput manibus portavit.

\* Ratisp. sanctissimi

s  
\* Ratisp. addit erat; Gladb. est

F  
\* Hæc phrasid paulum confusa in Ratisp.

t

u  
Eo intercedente, victoriam referunt Christiani.

Fideles



A Fideles namque Martyris magnifici meritis ad-  
juti, infidelibus Christo donante victis, victoriam  
sunt gloriose adepti v. Exinctorum porro cor-  
pora paganorum Christiani miserunt in fluvium  
sæpe ante nominatum. Colat obscuro sancta Co-  
lonia Eliphium colendum, amet destinatum a  
Deo Patronum; advocatum eum sibi in hac vita  
provideat, ut defensorem hic et in futuro illum  
firmiter habeat. Passus est sane venerabilissi-  
mus Martyr Eliphium xvii kalendas Novembris æ  
sub Juliano apostata et tyranno, imperante vero  
Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et  
Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculo-  
rum. Amen.

\* *Ratisp. ad-  
dit sibi*

## ANNOTATA.

a *Julianus numquam accessit ad subdiaconatus  
gradum: Lector tantum fuit; sic de eo Theodoretus  
(a): Hic (Julianus) in tenera ætate, adhuc im-  
pubes, una cum Gallo fratre lac suxerat piæ do-  
ctrinæ. Sed et postea cum pubertatis annos atti-  
gisset, jamque inter ephebos esset, eandem do-  
ctrinam retinuit. Veritus tamen Constantium, qui  
tyrannidis metu propinquos suos interfecit, in  
Lectorum numerum adscriptus est, et sacros li-  
bros in ecclesiasticis conventibus populo recitavit.  
Mitto lectum græcum. Eadem latius declarat So-  
crates Scholasticus (b). In tomo III Observationum  
selectarum ad rem litterariam spectantium, Halæ  
Magdeburgicæ impresso, negatur Julianus Lector  
fuisse; at tota nona observatio, ubi id obtinet, prorsus  
inter paradoxa ableganda est. Vide commenta-  
rios Trivultianos anni 1708 (c), ubi hæc nova cri-  
sis, omnia historię monumenta impugnans, merito  
subruitur: quod Julianum Lectorem ordinatum fuisse  
negat hujus observationis auctor, ratio vel prætextus  
est, neminem his temporibus ad hunc ordinem pro-  
motum fuisse ante annum vigesimum ætatis. Verum  
audiendi sane non sunt neoterici sæculi xviii, cum  
præsto sint scriptores multo antiquioris ævi, res suis  
temporibus actas enarrantes, quales S. Gregorius  
Nazianzenus, Sozomenus, Socrates, Theodoretus,  
etc.*

b *Talem legem numquam tulit Julianus. Exag-  
gerantur hoc loco, quæ Socrates (d) tradit: Inter-  
dixit (Julianus) etiam ne in palatio militarent,  
qui Christianam religionem abjicere et simulacris  
sacrificare nollent. Ad hæc ne Christiani regen-  
das provincias acciperent. Vide Nicephorum (e),  
et Natalem Alexandrum (f). Late dictum est § II  
de Juliano apostata in Galliis versante, examinatum-  
que num istic persecutorem egerit.*

c *Olim in agro Tullensi civitas erat, nunc vicus  
monumentorum romanorum reliquiis insignis: vide  
P. Benedictum Capuccinum (g) et dissertationem  
Cl. V. Digot de episcopatu S. Eucharii (h).*

d *Hæc si de Asia Minori aut Græcia affirma-  
rentur, non ita a veritate forent absona; de Gallia  
autem adstructa, intolerabilia sunt.*

e *Cratopolius in suo libello de Germaniæ episco-  
pis et doctoribus (i) Sanctum Eliphium filium Re-  
gis Scotiæ proclamat. Usserius, non attendens hunc  
Mersæi Cratopolii errorem ortum esse ex eo quod  
sancti Martyris Reliquiæ in monasterio olim a Scoti-  
is occupato asservarentur, et magis forte in Britan-  
niæ decora quam veritatis jura inquirens, Cratopo-*

lium secutus est (k). Designat etiam loca Dempste-  
rus (l) scribens: S. Elisius, filius regis Scotiæ  
Fincormaci, ut existimo, aut sane Crathlinthi,  
ut aliis visum.

f *Quidam recentiores faciunt eum episcopum, non  
tamen sedis Tullensis, quam benigne S. Euchario  
servant. Nonne sat multas fabulas de S. Eliphio  
suavit vulgus, quam ut historici novas inquirere de-  
beant? Ad diem xxvii Octobris, qua festum S. Eu-  
charii agitur, in hujus episcopatum inquiremus.*

g *Late commentatus est Jacobus Bueus in Vita  
S. Mennæ ad tertiam Octobris (m) quidquid ad pæ-  
rentes (quos Baccium et Lientrudem nuncupant),  
ad fratrem et sorores (Gontrudem et Odam addunt  
acta S. Mennæ); ad locum natalem (quem alii Tul-  
lum, alii Solimariacam, alii demum Scotiam fa-  
ciunt) attinet. At satis superque jam dixit Bueus de  
istiusmodi vulgaribus rumoribus, qui quantum ad  
hanc fraternitatem pertinent, orti videntur ex eo,  
quod ii Sancti in eadem regione coluntur. Similia  
exempla cætant plurima.*

h *Jam tempore regis Dagoberti I Liberiduni, quod  
Petrus de Brizei anno 1184 antiquissimum Eccle-  
siæ Tullensis castrum appellat, S. Eucharii Reli-  
quiæ servabantur, ut liquet ex quodam hujus regis  
privilegio; de quo latius, cum de S. Euchario ege-  
mus. Consule P. Benedictum (n) obviove geogra-  
phos de Liberiduno, nunc in diecesi Nanceensi (Dép.  
de la Meurthe).*

i *Anno 1063 S. Mennæ corpus translatum fuit  
Porsis, seu potius Portum Suavem in pristina diæ-  
cesi Tullensi, prius monasterium Ordinis S. Bene-  
dicti dein collegium canonicarum nobilium sæcula-  
rium, nunc forte rudera. Portus Suavis Poussay  
vulgo audit, jacetque non procul a Mirecurtio ad  
rivum Madon (Dép. des Vosges).*

k *Diu jacuerunt Grandi S. Libariæ Reliquiæ;  
anno autem 1587 Tullum in abbatiam S. Leonis  
translatæ sunt; antea jam quædam desumptæ fuerant  
particulæ. Consule nostrum Suyskenum ad viii Oc-  
tobris (o), qua S. Libaria colitur, et P. Benedi-  
ctum (p), nonnulla quæ Suyskenum latuere refe-  
rentem.*

l *De S. Susanna nihi luspian locorum invenio; in  
nullo, quod mihi innotescit, Calendario aut Marty-  
rologio clare notatur; de ea mentionem non facit Ru-  
grius in Antiquitatibus Sacris Vosagi; Calmetus in  
Hist. Lotharingiæ ad annum 362 pollicetur se de ea  
dicturum, cum de S. Menna recurreret sermo; verum  
oblivio fidem non sivit fieri pollicitationi; Pater Be-  
nedictus autem fatetur de hac sancta leviusculam tan-  
tum superesse traditionem, qua in Campania Gallica  
sepulta esse perhibetur. Si vero conjecturis indulgere  
liceat, libenter crediderim eandem esse ac eam  
Abbatissam Remensem, quæ Virgo Sancta in Vita  
S. Theodorici (q) vocitatur, et a S. Remigio in-  
structa fuerat. Ad diem viii Octobris prætermiserunt  
decessores nostri homonymam Virginem cultam in  
pago Blionensi, quem eundem esse suspicor ac tractum  
terræ diæcesis Tullensis, Ornesium inter et  
Mosam in Campania jacentem, cui nomen est Blois.*

m *Leocha idem est ac Tullum Leucorum, quæ  
olim sedes episcopalis erat, ut in Commentario præ-  
vio monuimus. Sunt, qui S. Eliphii parentes in ca-  
stello quodam, Bactiman, Baciman dicto, habi-  
tasse asserant; potuit tamen mater Tulli obire.*

n *Hæc dæmonum thecæ usum potius gentilem  
quam judaicum signare videntur; licet enim Judæo-  
rum tabellæ, decalogi verbis notatæ, sæpiusque dictæ*

(a) Hist. Eccl., lib. I, cap. II. — (b) Hist. Eccl., lib. III, cap. I. — (c) T. I, p. 448. — (d) Hist. Eccl., I, III, c. XIII. — (e) Hist. Eccl., lib. X, cap. XXXVIII. — (f) Hist. Eccl., sec. IV, cap. I. — (g) Hist. de Toul, p. 410. — (h) L'Espérance, Courrier de Nancy, 8 Juill. 1841. — (i) p. 52. — (k) Antiq.

Eccl. Britannicæ, p. 410. — (l) Hist. Eccl. Scot., n. 453. — (m) p. 151 et seqq. — (n) Hist. de Toul, p. 209. — (o) p. 229. — (p) Hist. de Toul, p. 212 et seq. — (q) Act. S. S. Ord. S. Bened. tom. I, p. 616; in Opere nostro ad diem I Julii.



A *phylacteria, nomine thecarum venire possint, eis tamen non congruit appellatio thecarum dæmonum, et inferius simulacrorum. Quocirca thecæ illæ vel sunt ejus generis, quod culpavit S. Eligius, vetans: Nec per fontes aut arbores vel bivios diabolica phylacteria exercentur (a); vel quod mihi magis arridet, referendæ sunt inter pastophoria, ædiculas, armaria, ναίσκες, ναΐδια, κισόρια μικρά, κισόριον, quæ arcule sunt ligneæ, lapideæ, argenteæ, etc. idolum quoddam capientes, et de quibus scripserunt plurimi, quos Franciscus Cancellius in opere de Secretariis Basilicæ Vaticanæ veteris et novæ (b) recenset.*

p *De cura sepulturarum, tum suæ tum alienæ a Patriarchis habita, adeat lector Spondanum de cæmeteriis lib. 1, cap. v. Idem inferius exorditur integrum caput de sollicitudine Martyrum ante et post passionem de sua sepultura; Confessores immixtos ibidem habes.*

q *Dictum est de hoc monte, ecclesia S. Eliphio sacra decorato, num. 17 Commentarii prævii.*

B *Quæcumque verba Juliano adscribuntur, prorsus ab ejus moribus abhorrent. Injuria hujusmodi emphaticæ minæ atque pollicitationes tamquam fictionis argumenta habitæ sunt a Tillemontio, quando de atrocissimis persecutoribus agitur; verum jure haberi possunt, cum de Juliano quæstio est.*

s *Jacet hoc pratium ad pedem veteris Solimariacæ, nunc Soulosse; de qua plura imprimis apud P.*

D *Benedictum (c). Solo-rivo Vera separatur Solimariaca a Monte seu Vico S. Eliphii.*

t *Plura de Martyribus cephalophoris, ut dicuntur, vide in commentario de S. Bolonia, ubi hoc miraculorum genus nonnihil infirmatur. Vetus Vita theotisca, cujus memini num. 4, et omnium optima est, omittit prorsus hoc miraculum et alia quæ sequuntur.*

u *Consentiunt omnes geographi, aut Tullensis agri scriptores, quos adhibere licuit, in dicendo Frumentosam vicum esse, qui nunc Fruse audit. Verum iste vicus non senis millibus distat a Monte S. Eliphii, sed ne semi leuca quidem, et certe multo proprior est huic monti, quam Grandis. Habent tamen omnes codices: Mons plane... inter Frumentosam et Grandim est medius ab utraque millibus distans senis. Multo itaque verisimilius est alium hic indicari locum, quem Framont esse autumo, jacentem prope Vichery.*

v *In Commentario prævio num. 5 monuimus jam totum hunc finem a codice S. Maximini Trevirensis abesse.*

x *Consonant omnes Vitæ in assignanda S. Martyris cæde diei XVI Octobris, aut mensis S. Remigii, ut loquitur Vita theotisca. De anno vero multum ambigunt scriptores, inter annum 350 et annum 363 sese volventes. Quam ob causam initio Commentarii prævii S. Eliphii martyrium ad annum circiter 362 retulerimus, in § II late explicatum fuit.*

(a) S. Audoenus in Vit. S. Eligii, lib. II, part. III, cap. xv. Conf. notas Smetii ad Vit. S. Eligii in Act. SS. Belgii,

tom. III, p. 250, not. a et p. 253, not. k. — (b) Tom. I, p. 133 et seqq. — (c) Hist. de Toul, p. 13 et 150.

## DE S. BOLONIA MARTYRE.

### IN AGRO BASSINIACENSI IN GALLIA.

#### COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Boloniæ cultus, biographi, juventus, martyrii tempus et locus, incertum miraculum, et reliquiarum conditio.

CIRCA ANNUM  
FORTE  
CCCLXII.

S. Boloniæ  
cultus ex Ca-  
stellano, ex  
nomine vici,  
et ex antiquo  
Breviario  
Lingonensi  
constat.

Quantumvis certus sit S. Boloniæ cultus, in nullo tamen latino Martyrologio ejus occurrit mentio. Solus Claudius Chastelain in Martyrologio universali gallico ejus meminit his verbis: In agro Bassinianensi S. Boloniæ (S<sup>te</sup> Boulogne, aut ut vulgo dicitur S<sup>te</sup> Bologne) quæ in dicto agro, in templo sui nominis, sub Virginis et Martyris titulo honoratur; quin etiam addere potuisset ipsum vicum, in quo hoc templum est, sub nomine Bologne aut S<sup>te</sup> Bologne venire. Porro jacet ille vicus, ut ait d'Expilly (a), in pago Bassiniacensi (nunc fere département de la Haute-Marne) a dextris Matronæ fluvii, sesqui leuca a Calvo-Monte (Chaumont); quæ sufficiunt ut is vicus a pluribus homonymis Galliæ vicis distinguatur. In hoc autem loco duplex olim S. Boloniæ celebrabatur festum, prius XVII Julii in Reliquiarum translationis memoriam, alterum XVI Octobris, quoniam hoc die martyrium subisse fertur. Neque olim ejus cultus in hoc tantum pago se continebat: ex Breviario enim Lingonensi anno 1604 excuso

F *discimus in tota hac diocesi ejus commemorationem fuisse factam, recitata oratione: Exaudi; cum hac tamen lege, ut si in die Dominica festum occurreret, de eisdem (de S. Berchario et de S. Bolonia) non fieret Comm. nec dicerentur duæ Coll. per Horas nisi in Missa tantum. In ordine diurno ad annum 1829 impresso, deleta est hæc commemoratio. In litteris vero, quam humanissime ab amplissimo Domino Favrel, Illustrissimi Petri Parisi Episcopi Lingonensis Vicario Generali, ad nos datis, innuitur hoc tempore denuo S. Boloniæ festum in diocesi Lingonensi celebrari. Ipsa verba latina facio: Hodie non exstat amplius Lingonense Breviarium. Quod ultimo excusum fuit loco, anno videlicet 1830, cum titulo: Breviarium Lingonense, mere Parisiense erat; at huic hodiernus Illustrissimus Lingonensis Præsul Romanum, prout jacet, substituit eo animo ut magis constringerentur unitatis vincula, quæ Lingonensem sedem cum Christianæ Ecclesiæ centro conjungunt: qua de re in æternum optimo nostro Præsuli gratula-*

(a) Dictionn. géograph. et histor. des Gaules et de la France.